COMMENTATIO
DE
AESCHYLI PROMETHEO.

ADJECTA EST

INTERPRETATIO EJUS FABULAE GERMANICA

AUCTORE

Dr. BERNHARDO ALBERTO TOEPELMANN.

LIPSIAE
SUMPTIBUS GUILIELMI NAUCKII
MDCCCXXIX.

PRAEFATIO.

Per longum tempus in eo imprimis laboraverunt philologi, ut per accuratam rei grammaticae et lexicographicae disquisitionem et expositionem ad scriptorum graecorum opera intelligenda lectoribus aditum patefacerent. Atque quo est certius et exploratius, populorum antiquorum ingenium totamque vivendi, cogitandi agendique rationem a nemine posse cognosci, nisi qui formam, qua est involuta, perspexerit, eo minus in reprehensionem incidere possunt, qui hoc propugnaculum primum expugnandum esse putantes in eo antiquitatis studii initium faciendum idque diu multumque tractari debere censerent. Id autem ut illi recte suoque jure jubebant, ita nonnullis nominibus ii acriter vituperandi esse videntur, qui linguarum studio antiquitati intelligendae satisfieri sibi persuaserunt. Quamquam enim grammatica et quae ei affines sunt disciplinae conjunctaeque, optimae sunt acuminis et ingenii duces magistraeque, tamen, certe si graecae romanaeque antiquitatis studium respicis, eas non nisi in propylaeo habitare fatendum est. Duo vero sunt, quibus, modo sint illae ad-

jutrices, constat antiquitatis cognitio, unum, quod versatur in exponendis rebus gestis, statu civitatum et externo et interno, geographia, disciplina *antiquitatum* nomine insigni; alterum complectitur accuratam et poetarum et philosophorum pertractationem, qua, quomodo poesis et philosophia nata sit et progressa, et cur ita factum sit, argumentis idoneis edoceatur, qua, quid in poesi bonum et divinum sit, quid non sit, discernatur, qua, quid a nostra sentiendi ratione in poematis antiquis discrepet, exponatur, qua denique efficiatur, ut lectis poetis imago, omnibus, quot fieri potest numeris absoluta, poesis vitaeque antiquae animis nostris proponatur. Poesis autem accurata et ingeniosa pertractatio plus facit ad perspiciendam antiquitatem quam philosophiae. In hac enim mens humana operatur sola et soluta a rebus externis; illam si cognoveris, ex imo pectore profluentem, totus antiquorum populorum animus, omnis sentiendi ratio, tota denique vita, ut fit in tabula picta, aspicientium oculis obversabitur. Jam vero parti, quam superiori loco posuimus, postquam jam proximis nostro saeculis multum studii operaeque navarunt, quorum commentationes Graevii et Jacobi Gronovii Thesauris aliisque in libris continentur, nostra potissimum aetate nostratium aliquot, in quibus Boeckhium, Niebuhrium, Mannertum, Wolfium, Buttmannum, Uckertum nominamus, libris docte et ingeniose compositis facem late fulgentem attulerunt. Neque minus alterius disciplinae particula prior, quae philosophiam graecam complectitur, his temporibus a Tennemanno,

Schleiermachero, philosophorum neoplatonicorum editoribus, aliis, studiis frugiferis tractata est et illustrata. At justo diutius plane jacuit altera ejusdem disciplinae particula, quae in poesi antiqua exponenda versatur. Quotcunque enim poetarum tum graecorum tum romanorum inspiciuntur editiones et commentarii, primo obtutu apparet, editores animum ad hoc interpretandi genus appellere aut noluisse aut nequivisse. Primus igitur, quantum nos quidem scimus, qui sensu quodam ad pulcritudinem poeticam et considerandam et significandam adductus est, Heynius, vir illustris ac de antiquitate meritissimus, annotationes, quas dicunt aestheticas, Homero suo aspersit, quamquam suis exclamationibus „Heus tu, lector, quam pulcri versus, quam venusti, quam omnibus numeris absoluti“ illi antiquo desiderio satisfacere nullo modo poterat. Summa vero laus hoc nomine tribui debet Lessingio, Laocoonte suo aliisque in libris multa, quae huc pertinent, egregie disceptanti, et nobili fratrum pari, Friderico et Augusto Guilielmo Schlegeliis, quorum ille universam, quam dicunt, litteraturam enarratione perquam ingeniosa complexus est, hic poesin dramaticam inde a Graecis ad recentiores populos usque ita explicavit et illustravit, ut nescias, utrum doctrinae copiam paene immensam an ingenii felicissimum acumen an denique generis dicendi elegantiam et praestantiam magis admireris. At enim vero quo justiore uberioreque laude hi viri prosequendi sunt, tanto gravius et vehementius id stomachum excitat, quod tantorum coryphaeorum vestigiis tam

pauci insistere conati sint [1]). Nam quum liber Schlegelianus, rem dramaticam complectens, eo consilio sit conscriptus, ut multorum populorum poesis dramatica quasi in conspectu poneretur et in universum consideraretur, facileque inde intelligatur, auctorem singula quaeque persequi nec voluisse, nec, rerum copia fere infinita praepeditum, potuisse, nemo non videt, commentationem, quae de poesi Graecorum dramatica agit, non esse absolutam, esse autem investigationem cum consideratione critica altius persequendam et ad singulos poetas dramaticos eorumque tragoedias traferendam. Hoc interpretandi genus, sicuti animo designatum habemus, erit in eo, ut in fabularum narrationes mythicas [2]) inquirat, ut singularum fabulae partium complexum, quem Graeci *οἰκονομίαν* vocant, consideret et dijudicet, ut, quid pulcrum sit, quid fatuum, ponderet, ut denique, ad artis initium progressumque respiciens, quantum tragoedia hoc nomine distet a prioribus et poste-

---

[1]) In quibus sunt „Reisigius, qui Enarr. Soph. Oed. Col. p. XII—XXV. acute et ingeniose de partium fabulae compositione disserit et Praefatione ad Arist. Nub. poetae consilium et mentem aperit; Guil. de Humboldt Praef. ad Agamemnonem a se conversam, Hermannus Praef. ad Soph. Philoct. p. XI—XVIII. Ante editum Schlegelii opus, quod annis 1809—1811. tribus voluminibus prodiit, Guil. Suevernius operam ejusmodi criticam Aeschyli VII. contra Thebas fabulae navaverat, cujus tralationem vernaculam et commentationem sagaciter eleganterque scriptam anno 1795. edidit.

[2]) Hanc quaestionis partem non attigi, quippe quae in Velckeri libro, vernacule scripto die Aeschylische Trilogie Prometheus 1824., et alio Nachtraege zur Promethie 1826. docte et egregie tractata sit.

rioribus, excutiat, eaque omnia argumentis certis et ad probandum idoneis confirmet. Atque si talis critica ad veterum carmina, imprimis ad tragoedias graecas applicatur, in quibus quasi fastigium poesis cernitur, intelligitur, quantum inde tum ad tragicorum poetarum, tum ad totius antiquitatis graecae cognitionem redundet auxilii. Jam vero quum illa, quam modo significavi rationem, Aeschyli Prometheum vinctum considerare et, si fieri poterit, illustrare in animum induxerim, ut ne, qui tam inflatis buccis ejusdem praeco interpretationis criticae exstiterim, in arrogantiae suspicionem incidam, hoc ante omnia est dicendum, me labori proposito satisfecisse mihi ipsum minime videri, voluisse autem fundamentorum jaciendorum exemplum quantulumcunque exhibere, quibus a prudentioribus ingeniosioribusque aedificia hujusmodi critica superstruerentur. Satis igitur habebo, si viri harum rerum periti operam a me non prorsus incassum datam esse judicaverint.

Ausus sum, commentationi criticae addere tralationem vernaculam. Ac sunt nonnulla, quae in hoc conamine genas nostras pudoris cujusdam rubore suffundant, timore nos impleant, et excusatione defensioneque magnopere indigere videantur. Est enim aliquid, Aeschyli, poetae maxime grandiloqui, tragoediam praestantissimam, intellectu hic illic difficillimam, transferre in linguam germanicam, a graeca tam diversam, metra graeca, maxima ex parte auribus germanicis aliena, domestico sermone exprimere, et quod summum est, tanta moliri, postquam viri ingenii splen-

dore et solertia valde insignes eandem viam feliciter et egregie praeiverunt. At hoc ipsum, quod ab imitatione deterrere debebat, me, jamdudum Aeschyli amore et admiratione captum, imprimis autem Promethei fabulae percussum pondere ac dignitate, delinitum veneribus, vel magis magisque incendit, atque inflammavit, ut ego quoque symbolam meam quantulamcunque ad tragoediae praestantissimae intelligentiam darem. Novum enim accessit incitamentum legenti mihi Guilielmi de Humboldt, viri illustrissimi, tralationem Agamemnonis vernaculam, qua perlecta concupiscebam, si non talem, qualem is illi fabulae, tamen ejus non prorsus absimilem Prometheo afferre utilitatem. Ac quum a cupidine non admodum abesse soleat voluntas et propositum, factum est, ut, viribus meis fortasse non satis ponderatis, ad opus faciendum accingerer.

Jam statim ab initio animum induxi, ante aliorum ejusdem tragoediae tralationes non inspicere, quam ipse ad finem pervenissem; ne illorum aut erroribus aut virtutibus, quo minus mea ratione graeca exprimerem, ullo modo impedirer. Simulac vero interpretationem ad finem perduxeram, magno cum desiderio Jacobsianam, quam pro viri ingenio ejusque admiratione et veneratione mea omnium optimam esse divinabar, aggressus sum. Mox autem me noctuas Athenas non portasse intelligebam. Non solum enim carmina melica ibi cum incuria quadam metrica, ut hoc utar, tractata sunt, verum etiam diverbii metrum senarium versibus jambicis, tum decem tum

undecim syllabis constantibus, hodiernae tragoediae metro solemni, redditum est, quo, ut Jacobsii tralatio metrica vix dici queat, factum est. Quam partis metricae his nominibus non laudandam naturam tantum abest interpres, ut aut ignoret, aut taceat, ut, quae magni viri est modestia, facile sese ab aliis posse praevorti ingenue fateatur (Mus. Attico tom. III. p. 352.). Omnibus autem, qui Aeschyli tragoediis vernacule traferendis studium operamque dicaverunt, palmam Henricus Vossius praeripuit. Cujus opus etiam propterea diuturna piaque memoria dignissimum est, quod duo viri, de litteris meritissimi in eo occupati diem supremum obierunt. Nam quum Henricus Vossius per decem et septem annos Aeschylo suo otium operamque navaverat et praematura morte abreptus erat, Johannes Henricus Vossius pater opus filii ad finem nondum perductum limare et edere sibi proposuit. At is quoque paucis annis post morte impeditus est, quo minus voluntati et suae et mortui satisfaceret, et ita Abrahamus alter ejus filius demum conversionem istam a. 1826. edidit. Quod quum ita sit, quilibet, vel non inspecto libro facile auguratur, virorum tam immortalis memoriae opera aliquid non mediocre effectum esse. Quod augurium non potest libri accuratiori cognitione non confirmari. Nec equidem ullo pacto dubito, quin, quod Abrahamus Vossius Praefatione narrat, patrem sperasse, fore, ut Henrici ingenii vestigia ac memoria per conversionem illam posteritati traderentur, prorsus et egregie ratum fiat. Tam enim accuratae in-

terpretationi, quam numerorum elegantiae et ἀκριβείᾳ studuit Henricus, quam ut magnum ac sublime poetae ingenium et caperet et exprimeret, operam dedit, in iisque rebus antecessoribus suis multum excelluit. At vero, ut omnino sub sole perfectum nihil invenitur, ita etiam in opere Vossiano et, si integrum spectamus, et si singula, haud pauca desiderantur. Quod ut exemplis muniatur, statim ab initio lectores his offenduntur

V. 3. Ἥφαιστε σοὶ δὲ χρή, μέλειν ἐπιστολάς
Hephaestos, dir nun ziemt, gedenk des Befehls zu sein.

V. 5. ὀχμάσαι, *straf zu festigen.*

V. 6. ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις
In harter Demantfesseln unlösbar Geflecht.

V. 7. παντέχνου, *kunstberuehmten.*

V. 9. ἁμαρτίας σφε δεῖ Θεοῖς δοῦναι δίκην
Muss er den Goettern buessen nun in vollem Mass.

V. 13. ἐμποδών, *liegt bevor.*

V. 19. ἄκοντα ἄκων, *unwilligen unwillig.*

V. 49. ἅπαντ' (ἐπράχθη) πλὴν Θεοῖσι κοιρανεῖν
Es ward den Goettern alles, nur nicht Obgewalt.

Ingenii autem Aeschylei splendor nativus interdum conversionis perplexa et contorta forma aliquantulum videtur obscuratus esse. Nihilominus vero id debet concedi, ejus opera non mediocre ad Aeschyli explicationem barbaramque conversionem subsidium accessisse. Atque equidem luben-

ter gratoque in mortuum animo confiteor, Vossium et ubi lapsus erat et ubi rectum viderat, et expresserat, mihi utilitatem praebuisse. Neque enim tam mei amans fui, ut, quum illo me nec aptius nec pulcrius quiddam invenisse intelligerem, interdum et vocabula et raro quidem, integros tamen ejus versus meis inserere dedignarer.

De interpretatione mea, haec pauca, lector benevole, habeto. Id ante omnia laboravi, ut quam accuratissime germanicis graeca exprimerentur. Quamquam hoc in studio saepenumero voluisse non minus satisfaciat nobis necesse est quam potuisse. In metris reddendis non incuriosus fui, alienus tamen ab inutili quorundam religione, qua caesuram caesurae respondere debere ducunt. Ceterum raro commisi, ut versui germanico quiddam inesset, cui in graeco habitare non liceret. Consulto autem ab exemplo graeco tum recessi, quum syllabae longae solutione metrum genuinum certe auribus germanicis fastidiosum reddi videbatur. Ita etiam in systematis anapaesticis perraro dactyli, etsi, ut notum est, a Graecis in anapaestorum locum saepissime substituuntur, admissi sunt, ne numerus lectoribus Germanicis turbari videretur. Prosodia germanica curae erat, dedique operam, ut quam sanctissime observata inveniretur. Ac syllabas ancipites, quae vertentium cruces esse solent, non quidem Thierschii exemplo, Pindari carmina civitate germanica donantis, unam partem ubivis produci, alteram corripi volui, quippe quod im-

periosius, quam justius, et sine recta certaque ratione factum esse videretur, sed ita ad usus meos adhibui, ut, si orationis vim quandam continerent, producerentur, et, si sine ista vi tamen productionem paterentur, iis certe sedibus collocarentur, quae tenuiori ictu pronunciari debent. Voculas autem ejusdem monosyllabas nonnullas v. c. *durch* praepositionem, tanquam ad productionem procliviores quam ad correptionem, fere omnibus in locis produxi. Omnino denique in vertendo non immemor eram praeceptorum, quae dedit Guilielmus de Humboldt Introductione ad Aeschyli Agamemnonis conversionem Germanicam. Hac occasione mihi obtemperare non possum, quin, quod omnes, quibus lingua vernacula cordi est, Germani jamdudum desiderant, ego quoque denuo eloquar. Etsi enim lingua nostra non minus certa, quam sanscrita, graeca, latina et arabica prosodia gaudet, eaque re omnes Europae linguas recentiores, imprimis francogallicam, anglicam, et italicam antevertit, tamen poetae nostrates non mali solum sed etiam optimi ita in versibus pangendis versantur, quasi lingua vernacula decore isto et luce prorsus careret, eoque aut prosodiae germanicae et firmitatem et certitudinem, aut veram poesin etiam forma pulcra et artificiosa excellere se ignorare fatentur. Ut igitur tandem aliquando et his subveniatur, et syllabarum scientia ipsa stabiliatur perfectiorque reddatur, magnum justumque Germanorum est desiderium. Aggrediantur viri harum rerum periti eam artem, sequantur exemplum Kirchneri, programmate a.

1828. edito lineamenta prosodiae germanicae egregie adumbrantis et ex principiis deducentis, utantur exemplis ex Klopstockii, Vossiorum, Fr. A. Wolfii, A. G. Schlegelii (Herabkunft der Goettin Ganga poema ex Ramajana in hexametros egregios tralatum Ind. Biblioth. p. I. fasc. I.), Comitis Augusti de Platen-Hallermuende poematis et tralationibus pulcris artificiosisque depromtis, faciant denique, ut Germani sua bona tum ignorare tum despicere et in linguam suam ridicule et impie peccare desinant.

Interpretationis adminicula nec vetusta bona nec nova ulla ad manus erant. Recensionem igitur Blomfieldii plerumque secutus sum, quamquam versuum numeri non ad eam sed ad conversionem meam accommodata in margine leguntur. Ubi autem aut in metris constituendis aut in verborum interpretatione et crisi abeundum esse videbatur, tum aliorum virorum doctorum v. c. Elmsleji, Hermanni, Vossii, Vellaueri, Reisigii libros consului et ex iis meliora depromsi, tum hic illic mea substitui. Non enim in Humboldtii sententiam abire possum, qui l. l. p. XXII. in vertendo recensionis unius alicujus auctoritatem deserere non licere docet. Ceterum hoc juvenile meum opusculum a vitiis non immune esse haud nescio. Tu igitur, lector, accipe, quod sine ira et studio dedi, benevole; equidem, si meam tralationem post Vossianam non plane superfluam esse judicatum erit, otium studiumque non parvum Prometheo non frustra me impertivisse vehementer laetabor.

Levis momenti est, quod diversa hujusce libelli species legentium oculos taedio afficere possit. Commentationem enim praebeo latinam, tralationem autem Germanicam. Spero autem, fore, ut hujus varietatis venia ab iis impetretur, quibus aut haec aut illa aut utraque non plane displicebit.

Scribebam Zizae a. d. XXIX. Januarii anni MDCCCXXIX.

FABULAE ENARRATIO.

Ingrediuntur scenam Crator et Bia, Jovis servi, Vulcanus et Prometheus. Illi Jovis dicto audientes incitant Lemnium, ut poena decreta Prometheum afficiat. Quibus quum propter affinitatem suam et rei aliquantisper reluctatus esset, tandem, ut jussus erat, Prometheum in vincla conjicit et iterum iterumque ab apparitoribus admonitus pedetentim miseris modis rupi praeruptae alligat (V. 1—87.). Post eorum abitum deus vinctus, cui ne gravissimi quidem dolores vocem unam extorquere potuerant, invocat aetherem, auras, fluviorum fontes, altum pontum, Tellurem, Solem, Deosque, ut quibus poenis ipse Deus a Diis crucietur inspiciant. Jovem incusat injustitiae et crudelitatis, narratque, se propter beneficia, humano generi oblata, tanta pati. Extempulo animadvertit Chori adventum, quem quum nondum contempletur, quaerit, qui sint, et rursus volucrium strepitu concitatus ab advenientibus timet (V. 88—127.). Jam advolat Chorus, constans ex Oceanitidibus, quae primum asseverant, se amicas venire Prometheo, malleorum sono frustra renitente pudore virgineo invitatas (V. 128—138.). Narratis a Prometheo, quae passus sit ipse, mise-

ricordiam suam significant, factique causam a recenti Deorum dominio Jovisque eorum duro imperio repetunt (V. 139—157.). Utrimque Jove conviciis obruto, scire sese, inquit Prometheus, a quonam hic sceptro privatus foret, non prius tamen id se cum eodem esse communicaturum, quam se ex vinculis solvisset. Quam animi contumaciam Chorus vehementer improbat, quoniam atrocior sit et potentior Jupiter, quam qui ita flecti queat (V. 158—194.). Contra Prometheus bonam spem alit, fore, ut ille secum in amicitiam redeat coactus. Quo fit, ut Chorus expostulet facti narrationem integram. Itaque narrat Prometheus, suo auxilio adjutum Jovem de throno dejecisse Saturnum patrem, quo facto voluisse perdere genus humanum, at se intercessisse, illud salvum reddidisse, et propterea mala perpeti. Tum Choro lugente et Promethei imprudentiam increpante, is, illa, inquit, se prudentem fecisse et sua sponte, tanti cruciatus quidem nescium. Chorus autem his commotus, ex aëre descendit in terrae solum (V. 195—291.). Advolat Oceanus, Prometheum invitatum, ut se certum in re incerta cernat amicum. Tum ab eo paucis interpellatus suadet, ut moderate agat et cum Jove gratiam redintegret. Prometheus autem tum ejus intercessionem, tum de ira moderanda consilium repudiat et Oceanum in tutum recedere jubet. Qua oratione commotus et ex parte victus Oceanus cedit, Atlantis et Typhoei exemplum addit et novas admonitiones adjungit. Prometheus autem eum, ut suae salutis memor sit, admonet et rursus suadentem et mulcentem ita increpat, ut per aërem devolet (V. 292—404.). Jam

Chorus, Promethei Oceanique colloquium silens quum audivisset, carmine melico amici sortem luget, et terrae incolas, Tartarum et fontes item lugere testificatur (V. 405—444.). Deinde Prometheus ampla oratione exponit, quanta tulerit auxilia generi humano, quantisque homines beneficiis affecerit (V. 445—515.). Tum Chorus spem sibi esse de Prometheo confitetur. Prometheus mysterii sui rursus mentionem facit. Illae carmine melico altero de spe, dulci vitae medicina, de nimio Promethei in mortales amore, de inflexo Jovis imperio cantant (V. 516—576.). Quo finito intrat scenam Io, virgo ab oestro agitata, quae a Prometheo, ejus sortem conditionemque statim intelligente, quaerit de terra, ubinam sit ipsa gentium, et ubi audivit, scire illum, quid sibi sit futurum, de erroribus suis eorumque fine. Ea omnia, huc illuc interpellante et Choro et Ione, Prometheus vaticinatur, quorum summa est, fore, ut aliquando unus ex Ionis progenie se ex vinculis tetris liberet. Quibus acceptis illa misere percita flebiliterque lugens abit. (V. 577—911.). Jam Chorus, Ionis conditione misera et matrimonio pestifero commotus, connubia inter aequales et pares optima esse, pestifera autem magnorum deorum cum inferioribus carmine exponit. (V. 912—942.). His Prometheus sua annectit de Jovis imprudentia, qui impari conjugio sibi interitum ipse paraturus sit; fore enim, ut ita nascatur, qui illum pessimis modis de throno dejiciat. Tum Chorum, qui iram exuberantem demulcere studet, increpat, ut cui suo modulo vivendum sit pro futuri temporis ignorantia, se, quid ipse possit, quid Jupiter, habere cognitum

et exploratum (V. 943—979.). Jam vero apparet Mercurius, a Jove missus, quae Prometheus clandestina mussitasset excussum, quae postquam incassum expostulaverat, acerbis cum verbis ab illo respuitur. Tandem crudelissimas poenas minatur, si Prometheus clandestina edere nolit, addit, hunc vana non promittere, stare autem promissis certissime. Qua oratione commotus et perterritus Chorus denuo monet, ut Prometheus se victum det Jovisque jussui obsecundet (V. 980—1075.). Is vero non flexo animo respondet, per se Jovi licere, facere quaecunque lubeat, se non poenas eius horrere non tartara, certe se morte afficere non in Jovis potestate situm esse. Chorum igitur adhortatur Mercurius, ut in tutum se recipiat. At vel ab eo illud monitum repudiatur, quippe qui Prometheum amicum nolit relinquere. Statim coeli fragores audiuntur, fulmina jaciuntur, procellae prorumpunt, terra contremiscit, atque Prometheus in Orcum incidens matrem suam et aetherem de injuria a Jove sibi inflicta antestatur (V. 1076—1129.).

DE
PARTIUM FABULAE COMPOSITIONE.

Ex ea, quam modo dedimus, fabulae enarratione apparet, quam simplex sit partium conjuctio [3]).

[3]) Nihilominus non est dubium, spectatorum animos hac ipsa simplicitate mirum in modum esse delectatos, impulsos et quasi ad sidera sublatos. Id memoratu dignum est, si consideratur, quanto cum frigore, quanta cum oscitatione nostri temporis multitudo fabulae non minus simplici nervorumque verorum plenae agendae interesset, quam Aeschyli est Prometheus vinctus. Cujus discriminis causa in propatulo est. Athenis enim florentibus, ingenii cultus pulcrique sensus civibus fere omnibus erat communis, vivus et quasi innatus, hodiernorum autem hominum non nisi parva pars studio ac labore illos assequitur. Quam vero ab illa excellentia et nativa ingenii virtute jam saeculo post Athenienses degenerarint, vel sagacissimi et ingeniosissimi viri Aristotelis exemplo comprobari potest. Is enim in libro de Poetica Aeschylum non nisi practereundo laudat et a fabularum simplicitate longe abhorrens VI, 18. *πρὸς δὲ τούτοις*, inquit, *τὰ μέγιστα, οἷς ψυχαγωγεῖ ἡ τραγῳδία, τοῦ μύθου μέρη ἐστίν, αἵτε περιπέτειαι καὶ ἀναγνωρίσεις.* Quocum cf. XIII, 2. Omnino de Aristotelis judicio videndus est Velckerus l. l. p. 528. sqq. Longe certe aliam Aeschyli mentem aperit auctor ejus vitae Robortellianae: *κατὰ τὴν σύνθεσιν τῆς ποιήσεως ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν ἀεὶ καὶ ὑπέρογκον ὀνοματοποιΐαις τε καὶ ἐπιθέτοις, ἔτι δὲ καὶ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον τῇ φράσει περιθεῖναι χρώμενος. αἵτε διαθέσεις τῶν δραμάτων οὐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ*

Namque ne duo quidem personae ab initio ad finem

τοῖς νεωτέροις, μόνον γὰρ σπουδάζει τὸ βάρος περιτιθέναι τοῖς προσώποις, ἀρχαῖον εἶναι κρίνων τουτὶ τὸ μέρος, μεγαλοπρεπές τι καὶ ἡρωικόν. τὸ δὲ πανοῦργον, κομψοπρεπές τε καὶ γνωμολογικὸν, ἀλλότριον τῆς τραγῳδίας ἡγούμενος. Quod quum ita sit, majores nobilissimo illo *τραγικώτατος τῶν ποιητῶν*, quae verba Arist. Poet. XIII, 10. de Euripide dicit, laudes contineri consentaneum est, quam per verba proxime praecedentia *εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ οἰκονομεῖ* interpretibus (cf. Herm. ed. p. 148.) licere videbatur. Atque idem sentiebant Lessing. Dram. Hamb. tom. I. n. 29. et Manso commentatione vernacule scripta, cui titulus est: *Ueber einige Verschiedenheiten in dem griechischen und deutschen Trauerspiele in Nachtraege zu Sulzer* tom. II. p. 247. nota 9. In quo Mansonis libro ut multa inveniuntur utilia et bene cogitata, tamen reprehendendum est, et Aeschylum in comparatione instituta plane praetermissum et longe plurima ad illam conficiendam ab Euripide, tragicorum ultimum locum obtinente, repetita esse. Inter Graecos optimus et prudentissimus Aeschyli censor erat Aristophanes, qui quum Ranis certamen inter eum et Euripidem de throno tragico in Tartaris obtinendo fingeret, quam longe Aeschyli et sublimitatem et simplicitatem Euripidis praeferret tenuitati, sapientiae scholasticae artique fabulas implicite nexendi documento evidentissimo ac splendidissimo comprobavit. Quo de conferantur, quae Velckerus praebet l. l. p. 525 sqq. Aristophanis judicio prorsus contrarium facit Quinctilianus, qui Instit. Orat. L. X. p. 19. ex ed. Ros. Aeschyli saepe vitiosam grandiloquentiam rudemque et in plerisque incompositam artem comprehendens Euripidis et artem et ingenium laudibus ad coelos extollit. Mirabamur vero, ni homo Romanus (erant enim Romani ad poesin et intelligendam et censendam pingui Minerva nati) isque rhetor de cothurno maxime sublimi ejusmodi judicium tulit. Id autem stomachum movet, quod Ricardus Porsonus, vir critica facultate et ingenii solertia maxime pollens, censuram utriusque poetae facit Quinctiliani hariolatione non multo meliorem. Is igitur Praelectione in Euripidem Adversariorum p. 6. „Ut, quod sentio, libere fatear," inquit, „qui Aeschylum Sophocli et Euripidi praeferunt, errore ignoscendo quidem, sed errore tamen, ut mihi videtur, labuntur." et p. 7. „Major poeta esse potuit Aeschylus, sed meliores fabulas docuere Sophocles et Euripides." Jam vero, quod, ut neque nos ita esse negamus nec quisquam jure negare potest, Sophoclea tragoedia politior est et perfectior quam Aeschylea, ejus rei causa non erat majus et fe-

usque una agunt. Vel Chorum excipere nequis, qui post demum scenam ingreditur, ubi Prometheus a Vulcano poena affectus est. Qui quum cum ap-

licius Sophoclis ingenium, erat autem diversa aetatis utriusque indoles. Nam Athenienses Aeschyli *) tempore bellis Persicis tam commovebantur et excitabantur, ut ad epici generis ignem et vim quam pronissimi redderentur et utrumque etiam in arte dramatica non solum ferrent, verum etiam vehementer amarent. Non autem multo post belli scintillis sensim sensimque evanescentibus, magis in vitam civilem et communem incumbere et artibus cultis mansuetisque se dare incipiebant, quam quibus illa sublimitas, fines hujusmodi vitae haud raro migrans, et grandiloquentia ista placere potuisset. Qua in aetate Sophocles maximam vitae partem degens totius populi paullatim conversa natura plus minusve imprudens ipse abductus tales tragoedias confecit, quae mutatae illi naturae essent consentaneae et accommodatae. Ita autem studuit, ut tragoediarum et argumentum et personae non longius abessent ab eo tempore, quo agebantur, quam quarum similitudo ad Athenienses suos conferretur, tum ut earum facta et sermones vitam civilem eamque exornatam et pulcriorem sublimioremque repraesentarent. Quo factum est, ut Aeschyli tragoediae maximam partem in rebus divinis **) fingendis describendisque versarentur, Sophocli autem cordi esset humanum. Itaque non quidem improbamus, quod diligenter de mutata Aeschyli in Sophocleam tragoediam exponit Velckerus l. l. p. 511., causam autem ejus rei altius latuisse censemus, cui sententiae accedere videtur idem p. 513. Jam si ab antiquitate ad nostra tempora transilire licet, simile illius poetarum paris illustrissimi discrimen inter Goethium et Schillerum intercedere videtur, quamquam aetatis ratio longe alia est. Namque ut hic ad sublimitatem pronissimus ea, quae a vita humana rerumque naturali consuetaque conditione maxime remota sunt, amat, fingit et poesi exornare (idealisiren) studuit, ita Goethius, Sophoclis ut in hoc, ita in aliis simillimus, in vita animoque humano, quorum adyta mirifice penetravit, depingendis et amplificandis magnus est et incomparabilis.

*) Lectu dignissima sunt, quae hac de re profert A. G. Schlegelius l. l. tom. I. p. 134.

**) Cf. quae profert Jacobsius in *Charaktere der vornehmsten Dichter* p. II. p. 428. n. x.

paritoribus abiisset, colloquitur ille cum Oceanitidibus, tum advolat Oceanus, quo confabulante Chorus silet, deinde, rejecto Oceano, rursus loquuntur ejus filiae, post advenit Io, quae Choro interdum interpellante et ipsa narrat et narrata a Prometheo accipit. Abit, denuo loquitur Chorus, donec Mercurius, novus actor, accedit. Quam tantam fabulae simplicitatem multos ad iniqua de poeta nostro judicia adduxisse non est quod miremur. Quid enim? Prometheus vinctus tragoedia esse non videtur, agitur autem, ut est in puerorum ludo, ubi figurarum in vitro pictarum umbrae in pariete deinceps praetereunt. Itaque Prometheus et Persae *) imprimis faciebant, et etiam nunc faciunt, ut Aeschyli tragoedia artis sicut initium ita etiam indocta pueritia esse censeretur. Qui igitur pueritiae incultae blandimento tragicum nostrum jure ornari posse sibi persuaserunt, egregie risit A. G. Schlegelius inquiens libro supra laudato p. I. p. 72. „*Mit dem Scheltworte der Kindheit wird besonders der arme Aeschylus abgefertigt. Nun wahrlich, soll das die Kindheit der dramatischen Kunst heissen, so war es die Kindheit des Herkules, der in der Wiege schon die Schlangen erdrueckte.*“ Simplicitatis autem, qua insignis est tragoediarum

---

*) A. G. Schlegelium (l. l. tom. I. p. 162.) Persas infimum tragoediarum Aeschylearum locum obtinere judicantem, cui judicio equidem lubentissime subscribo, Passovius in Musaei editione p. 108. nullo jure cavillatur. Qui quum hac fabula pulcriorem se nosse nullam fateatur, pulcritudinem Persarum poeticam in singulis magis quem artem dramaticam videtur spectasse. Ceterum Promethei simplicitatis longe alia ratio est ac Persarum, quae fabula pro paeane victoriae Salaminiae habenda est.

Aeschylearum *οἰκονομία*, duplex est causa et origo, una in poesis intima natura, altera in poesis dramaticae apud Graecos origine sita. Nam quod ad priorem attinet causam, ea est poesis natura, ut ab rebus gestis, quae populos maxime commoverunt animosque vehementer incitarunt, exornandis et effingendis ordiatur. Quarum quum recens sit in hominibus memoria, si ordine suo, hic illic insertis, quae poeta ipse invenit notisque addidit, narrantur, fit tum, ut ab iis intelligantur, quorum intelligere interest, tum, ut vivida pulcraque illarum imago legentibus audientibusve proponatur et obversetur. Ita nascitur, si tempus respicis, primum poesis genus, epicum. Quo in genere primarias partes agit poeta, qui tantum abest, ut ipse sui immemor sit, et carminis causa sui prorsus obliviscatur (quam virtutem barbare dicas *Verleugnung der Subjectivitaet*), ut solus ipse omnia conjungat, omnia enarret ipse, atque, si, quod poeta narrando agit, carmini epico subducere velis, totum orationis filum incideretur nec quidquam nisi rudis indigestaque moles remaneret. Jam ubi animus humanus magis magisque excolitur, ubi artes et liberales disciplinae laetius efflorescere incipiunt, tum ille etiam in poesi altius spirat. Simulatque igitur sentit, quo remotior sit poeta a sui et cogitatione et mentione, eo propius eum a summo poesis culmine abesse, non amplius contentus est simplici illa rerum gestarum enarratione, quippe quae obtusius ad intelligendum acumen requirat, quam quo se pollere mirum quantum gaudet. At quae haec est ingenii luxuria, aliam novi generis causam dicimus penuriam quandam.

Namque si virili populi alicujus aetate res gestae, quas juvenili epici poetae proposuerunt, iterum produci debent, earum memoria non tam est recens ac firma, ut mera poetarum narratione in succum et sanguinem audientium converti queant. Quid igitur? subvenitur memoriae praeter auditum visus sensu. Ita autem fit, ut personae, de quibus poesi exponendum erat, in conspectum prodeant, ut ipsae spectatoribus se ostendant, suam mentem ipsae aperiant, et iis coram cum aliis agant, ut denique spectatores, a tempore, de quo agitur, nimis remoti, toti quasi abripiantur a sua aetate et vivendi cogitandique modulo suo, atque ad rerum gestarum et regionem et tempus poetae artificio traducantur [4]). En videmus poesis dramaticae originem, ex ima tum mentis humanae tum poesis natam natura. Jam quum nihil omnino, quod ex quodam alio exoritur, statim post natum tam ejusdem est dissimile, ut utriusque affinitatem animadvertere nequeas, intelligitur, poesin dramaticam initio ad tantam accessisse epicae similitudinem, ut ejus quae esset et illius cognatio nemini non videre liceat. Atque haec in eo maxime est conspicua, quod longiores, quam qui dramati exculto conveniunt, nectit sermones (quam verbositatem quandam epicam dicimus), quod personis, ut est in epico genere, longas ornatasque rerum gestarum narrationes tribuit, quod denique tragoedia ad artificiosam partium compositionem

---

[4]) Discriminis, quod epicam et dramaticam poesin intercedit, exemplum luculentum videbis, si Caledasi Sacontalam, fabulam, cum epica ejusdem facti enarratione Mahabharatana comparaveris.

nondum assurgit. Ea omnia, quae epico poetae laudi sunt, in dramatico genere vitia jure dicuntur. Haec igitur est artis dramaticae pueritia. Iccirco non negatur, Aeschylum, qui teste Aristotele (Poet. IV. ed. Laemar. tom. II. p. 793. B.) τὸ ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνίστου παρεσκεύασε, et Horatio testificante Epist. ad Pisones V. 278—280.

— — personae pallaeque repertor honestae
— — modicis instruxit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

et a Graecis (Philostr. V. A. VI. 11. p. 245.) πατὴρ τραγῳδίας nominatur, qui, ut brevi dicatur, tragoediam primus excoluit, non immunem ab omni, quae artis initio adhaerere solet, labe fuisse, negatur autem jure, ejus artem puerilem *) recte compellari. Atque epicus tragoediarum Aeschylearum color, in contexendi simplicitate et longioribus narrationibus conspicuus alteram habet causam cum ea, quae modo tractata est, arctissime conjunctam, rectius dixeris eandem ad graecam poesin tralatam, dramaticae poesis apud Graecos originem. Nam qui antiquissimis temporibus huc illuc circumvagarentur ῥαψῳδοὶ, carmina Homerica et aliorum interdum etiam sua cantantes, post, mutatis cum tempore rebus, facti sunt τραγῳδοὶ, qui hircum et ficorum atticarum modulum praemio laboris sumptuumque ac-

*) Si Aeschyli tragoediae conamina puerilia Atheniensibus visa essent, eorum comitia certe non decrevissent scito ac jussissent, illas poeta mortuo doceri. Cujus rei testis est Scholiasta ad Aristoph. Acharn. V. 10.

cipientes, primi fabulas agere conati sunt [6]). Ab his, rhapsodorum consuetudines ac mores magnam partem tenentibus, Aeschylus tragoediam accepit, quem non statim ab ea, quae rei natura esse videretur, prorsus recessisse luce diurna clarius apparet. Ita etiam in dicendi genere haud pauca epici sermonis vestigia inveniuntur, quae quamquam Musa tragica non repudiavit, ut Sophoclis et passim etiam Euripidis fabulae docent, tamen frequentiora Aeschylo sunt, quam relicuis tragicis. Exempla autem haec habeto: Prom. V. 540. *ποτινίσσομαι.* V. 170. *δάμναμαι.* V. 263. *σμερδναῖσι γαμφηλαῖσι.* V. 421. *μεγαλοκτόνοισι.* V. 431. *ὀξυπρώροιο.* V. 448. *θεοῖσι.* V. 450. *εἰδυίαισιν.* V. 458. *μορφαῖσι.* V. 619. *κέντροισι.* V. 736. *τόξοισιν.* V. 863. *παλιμπλάγκτοσι.* V. 542. *Ὠκεανοῖο.* V. 108. *εὐρυπρώροιο.* V. 647. *μεγαίρω.* Pers. V. 108. ed. Glasg. *εὐρυπόροιο.* V. 424. *τοὶ δ' ὥστε* pro *οὗτοι*, et V. 607. V. 633. *ῥα.* V. 656. *ἔσκεν.* Septem. c. Theb. V. 774. *πουλύβοτος.* V. 775. *τίον* pro *ἔτιον.* Prom. V. 442. *Ἄϊδος.* Prom. V. 137. *σύθην.* V. 1120. *ζάπυροι.* VII.

---

6) Horatius Epist. ad Pisones V. 275—277.

Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis:
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.

Dioscorides epigrammate in Analectis Vett. poetarum tom. I. p. 497. XVI.

Θέσπις ἐγὼ, τραγικὴν ὃς ἀνέπλασα πρῶτος ἀοιδὴν
κωμήταις νεαρὰς καινοτομῶν χάριτας.

Contra Plato Minoe p. 140. ed. Bip. *ἡ τραγῳδία ἔστι παλαιὸν ἐνθάδε, οὐχ ὡς οἴονται ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη, οὐδ' ἀπὸ Φρυνίχου, ἀλλ' εἰ θέλεις ἐννοῆσαι, πάνυ παλαιὸν εὑρήσεις ὂν τῆσδε τῆς πόλεως εὕρημα.* Videndus Bentlejus Dissertat. de Orig. tragoed. et Respons. ad Boyl.

c. Th. V. 1007. πάθεν pro ἔπαθεν ἀνήρ; vocabuli priorem syllabam, quam poetae attici semper corripuerunt, Aeschylus interdum usu homerico produxit. Prom. V. 1121. 1128. εἱλίσσω.

Si quis, ut oratio, unde declinavit, revertatur, verbosas in Prometheo vincto narrationes ab epico artis dramaticae initio repetere velit, id cum jure suo certo eum disputare, lubenter confiteamur, id quod paulo post uberius demonstrabimus. At simplicissimam ejusdem fabulae compositionem ἀπορίαν dici non debere pro certo habemus persuasum. Est enim haec fabula tanta cothurni altitudine, tanto rerum gestarum pondere, ut quamvis implicitam spinosamque οἰκονομίαν repudiare videatur; tempus, quo factum, quod fabula narratur, tam est vetustum, tam ab artificiis remotum, ut artificiosa scenae exornatio spectantium animos magis deterritura quam voluptate affectura fuisset. Qui denique agunt, omnes sunt dii deaeque, quorum tanta est dignitas et majestas, ut singuli si animo oculisque producuntur, satis superque φόβον καὶ πάθος incutiant, ut artificiosa eorum conjunctio sermonumque callida compositio humanae quidem adaptata, divinae autem naturae contraria fuisset. Quae quum probe poeta persentisceret, οἰκονομίας summae studebat simplicitati, rerum autem et verborum ponderi maximo. Magnam igitur solertiam eum adhibuisse apparet in excogitando fabulae ordine partiumque conjunctione, quarum una alteri annexa magis quam cum relicuis contexta esse primo obtutu videtur.

Alia artificia considerari debent in singulis. Nam quod Prometheus dum, Jovis apparitoribus ludificantibus, a Vulcano vesano afficitur dolore, dum clavibus cum ferreis valli desertae praeruptaeque affigitur, pectora serra inciduntur, crura annulis ligantur, latera loris, totum corpus vinclis perforantibus, ne unam quidem voculam edit, qua dolorem exprimat, utrum hoc silentium fortuitum esse an maximo poetae ingenio et arti deberi censes? Quam sententiosam narrationem Prometheus hoc in loco apud Euripidem habiturus fuisset, quam salse mox, mox quam acerbe, quam flebiliter denique ex hujus artificio fuisset dicturus. Tum demum, quum cruciatores abiissent, vox prorumpit ad antestandas dias luminis auras. Alterum quod praetermitti non licet, est prudentia, qua spectatores mediam ad rem rapiuntur. Namque et initio Prometheus poena afficitur, cui poenae quod praecesserat crimen statim post colloquentibus Vulcano et apparitoribus paucis significatur et alibi amplius enarratur. At vero dum Aeschylus simplicissimam *οἰκονομίαν* dignitati et ponderi fabulae maxime consentaneam esse recte videret, eo in vitium incucurrit, quod ita eadem saepius repetere cogeretur. Ac quot deinceps scenam ingrediuntur personae, tot a Prometheo accipiunt et eorum quae patitur, et criminis tum breviorem tum longiorem enarrationem. Ita primum fata sua post Vulcani abitum exclamat, secundum coram Choro eadem exponit V. 205—249., tertium iisdem eadem amplius eloquitur V. 452—515., quartum docet, ubi Ioni fata sua in

versiculo uno comprehendit V. 633 [7]). Quamquam hujus rei etiam alia causa est, in fabulae pondere sita, de quo post videbimus.

Quum Aeschylus probe sciret, Promethei sortem miseram propter beneficia in genus humanum collata, nimis commoturam et perculsuram esse spcctantium animos, caute cateque tanti doloris excogitavit medicinam, qua impediret, quo minus prae nimia miseria pulcrum e tragoedia evanesceret. Induxit autem in scenam Ionem, quae Jovis amore Junonis furorem excitaverat, in vaccae figuram commutata Argum custodem ab ea acceperat, et hoc a Mercurio interfecto, tam erat asilo, quem Juno miserat, turbata et in fuga cruciata, ut omnium virginum sibi videretur esse infelicissima. Haec igitur, quae non mitiori in Jovem erat animo, quam quo erat Prometheus, errans fertur ad hujus rupem, una cum eo illum conviciis obrutum, injustitiae et crudelitatis accusatum et pessima quaeque illi deprecatum. At miserum sane est solatium, socios habere malorum, quibuscum malorum auctores verbis convellere queas. Itaque hic utriusque congressus nullo pacto tragoediae dignitati satisfaceret, nisi ex hoc ipso Ioni requies, Prometheo autem liberatio pararetur. Nam is pro divina sua et fatidica natura disertis

---

7) Poeta ipse intellexit, tam multa jam de poenarum causa in praecedentibus fabulae partibus dicta esse, ut nova ejusdem repetitio ferri vix posset. Fecit igitur ridiculo artificio, ut Ionis interrogationi Prometheus V. 636. responderet

ἁρμοῖ πέπαυμαι τοὺς ἐμοὺς θρηνῶν πόνους.

verbis divinatur, fore, ut Io erroribus, qui accuratius et fusius, quam per poesis tragicae leges licuit, describuntur, aliquando absolutis, sanam mentem recuperet, et in Aegypto filium pariat Epaphum, terrae, Delta nomine insignis, regem, ex cujus progenie tempore certo praeterito sibi nascatur liberator. Atque in hoc congressu et vaticinio, quam poetae sapientiam haud mediocrem jure dixeris, duo sunt animadversione non indigna. Nam quod Ionis errores perlonga describuntur oratione V. 737—767. 811—901., qua bona pars fabulae expletur, id cum a tragoedia omni alienum, tum fabulae nostrae simplicitati non consentaneum esse primo obtutu intelligitur. Quod ab affinitate, dramatico quae est et epico generi, quod et verbositatem quandam et interpositas rerum gestarum alienarum narrationes vehementer adamat, ut antea expositum est, repeti debet. Neque Aeschylus hac in re cauta circumspicientia rectoque judicio usus est. Longe enim alia ratio est narrationis, quam apud Sophoclem ludorum Delphicorum Orestis paedagogus tradit (Electr. V. 680 — 763). Nan ut alia duarum orationum discrimina taceamus, ludi Delphici tanta in Graecia erant celebritate, tanta dignitate, ut omnium spectatorum interesset, eorum narrationem audire; libenter igitur et cupide, quae Sophoclea Electra paedagogus exposuit, ab omnibus, qui adessent, accipiebantur. Quid autem ad Graecos, obsecro, Scythiae nomades, quid Chalybes, Caucasus, Amazones, quid Cimmericus, campi Ciotheii, Phorcides, Arimaspi et hoc genus

alia, nisi quae fortasse tanguntur in carminibus Homericis? [8])

Praeterea dixerit quispiam, longam illam narrationem eo minus ferendam esse, quo plura geographiae rectae scientiae repugnantia ibi inveniantur [9]). Tali vero reprehensori, prouti poesis antiquae imprimis Graecorum totius sentiendi rationis ignaro responderi debet, ita cum suo i. e. hodierni hominis modulo metiri. Nos enim vel in poesi summam expostulamus si non veritatem tamen verisimilitudinem, ei quae contradicunt, ut e seriis disciplinis, ita vel ex carminibus, certe e tragoediis ejicienda esse censemus. Graecis longe

---

[8]) Velckerus l. l. p. 25. hanc narrationis longitudinem ita defendere studet, ut eam et partium symmetriae convenire dicat, et Promethei praescientiam commonstrare. At vero videndum est poetis, ut partes singulas aptis et idoneis rebus impleant. Longior enim haec errorum descriptio est, quam quae ad Promethei fatidicam naturam comprobandam expostuletur. Etiam Jacobsius Mus. Att. tom. III. p. 343. narrationis longitudini patrocinatur. Ita enim fieri, ut spectatorum animi, terribili Promethei cruciatu affecti et defatigati acquiescant et recreentur. Cujus rei exemplum afferri potest carmen poetae Caledonii, eodem consilio narrationi Vertherianae a Goethio nostrate interpositum. At nihil omnino est, quod, si opinio praejudicata jubet, argumentis certe speciosioribus quam verioribus excusari defendive nequeat. Recte autem Bluemnerus in libro aureolo, vernacule conscripto, cui titulus est: *Ueber die Idee des Schicksals in den Tragoedien des Aeschylos* 1814. p. 9. Tyrwhittum, Oceani et Ionis personas fabulae non aptas esse judicantem Animadversionibus in Aristotelis poeticam p. 174. refutavit.

[9]) Recte et acute judicavit Agatharchides de mar. rubr. p. 14. ed. H. Steph. Phot. Biblioth. p. 1313., quantumvis esset geographus, quem scientiae suae violatio male habere poterat: *οὐδ᾽ Αἰσχύλον ἐπιπλήττω, πολλοῖς διεψευσμένον καὶ πολλὰ συγγράφοντα τῶν ἀσυγχωρήτων - οὐδὲ τοὺς ἄλλους εἰς ἐπιτίμησιν ἄγω, διασκευαῖς ἐν τοῖς δράμασι χρωμένους ἀδυνάτοις· ὅτι πᾶς ποιητὴς ψυχαγωγίας ἢ ἀληθείας ἐστὶ στοχαστής.*

alia mens erat. Ii enim in litteris, ut in philosophia, mathematica et quae his similes sunt disciplinae, vera doceri volebant, incerta et falsa respuebant; quum fabulae agerentur vel falsa rei gestae narratione recreari quam religiosa ac putida veritate poesin detrimentum capere malebant. Ita si quis spectatorum vitia geographica in Promethei vaticinio animadvertit, certum est, eadem voluptate eum perfusum esse, quam, si non animadvertisset, fuisset capturus.

Alterum, quod hac occasione considerari potest, non tam est in fabula, quam sermo tractat, ipsa, quam in integro, cujus pars est; dico trilogiam. Memoriae enim proditum est, praeter Prometheum vinctum Aeschylum duas ejusdem tituli tragoedias docuisse, unam Prometheum igniferum, alterum Prometheum solutum, quarum ordo ita constituendus est, ut ignifer primum, vinctus alterum, solutus denique Prometheus tertium trilogiae locum obtineret, quamquam nescio quo errore a scholiasta in tragoediarum Aeschylearum catalogo ignifero vinctus praeponitur. Prorsus autem omittitur Prometheus πυρκαεὺς, quem aliquatenus cum trilogia cohaesisse conjectura est. Cf. Blümnerus l. l. p. 18. sqq. Velckerus l. l. p. 119. sqq. πυρφόρον et πυρκαῆ ejusdem fabulae titulos fuisse Schulzius p. 8. sq. et Jacobsius Att. Mus. tom. III. p. 349. sibi persuaserunt.

Tertiae partis argumentum Promethei vincti V. 896—898. maximam partem continetur

σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆςδε φύσεται θρασὺς
τόξοισι κλεινὸς, ὃς πόνων ἐκ τῶνδ' ἐμέ
λύσει.

Jam quaesiverit homo hodiernis fabulis assuetus, qui fieri potuerit, ut attentionis et exspectationis spectatorum nervi ita non prorsus inciderentur. Nos enim in nostris fabulis judicare solemus, quo inopinatius exspectationi praeveniatur, eo magis esse poetae artem ingeniumque admirandum. Tam vero abhorrebant Graeci, quum litterae apud eos florerent maxime, a curiositate hujuscemodi hodierna, ut res gestas vel notissimas, si modo verae poesis arte illustratae essent, summa cum voluptate in fabulis spectarent audirentque. Cujus rei causa erat, quoniam tenerrimo eoque sublimi sensu poetico imbuti erant, quoniamque fabulis non ut nova perciperent, sed ut animus et sensus ille recrearentur et ad altiora incitarentur, interesse solebant. Quid hodiernorum bona pars hominum sentiant accuratius exponere longum est taediique plenum. Transeamus ad aliquam fabulae personam, quam cur cuique bono poeta adduxerit, quum in hac commentationis parte demonstrare nondum nec lubeat nec liceat, certe quomodo se gerat et qualis sit nunc investigabitur. Nam Oceanus affinis amicique calamitate percitus advenit, Prometheum solatio atque auxilio erectum. Qui simulatque apparet, non potest, quin describendo et iter et avem, qua vehatur, et rationem, qua ei inequitare soleat, spectatorum risum magis quam timorem et misericordiam commoveat (V. 292—295.). His enarratis ad Prometheum se convertit ita canens (V. 296—305.):

ταῖς σαῖς δὲ τύχαις ἴσθι συναλγῶ·
τότε γάρ με, δοκῶ, ξυγγενὲς οὕτως
ἐσαναγκάζει, χωρίς τε γένους
οὐκ ἔστιν ὅτῳ μείζονα μοῖραν
νείμαιμ' ἢ σοί.
γνώσει δὲ τάδ' ὡς ἔτυμ', οὐδὲ μάτην
χαριτογλωσσεῖν ἔνι μοι· φέρε γάρ,
σήμαιν' ὅτι χρή σοι ξυμπράσσειν.
οὐ γάρ ποτ' ἐρεῖς, ὡς Ὠκεανοῦ
φίλος ἐστὶ βεβαιότερός σοι.

Quae audientes timorem, de Promethei sorte miserrima conceptum, excutere incipimus, quia non sine jure colligimus, si deus non infimarum gentium, qualis Oceanus fuisse fingitur, tantam sua sponte promittat ξυμπάθειαν, fore, ut amici calamitas leniatur. Ubi vero audimus, ejus auxilium et precibus, quas Jovi de Prometheo liberando et condonando fusurus est, et consilio, affini dato, ut iram compescat et a contumacia animi nimia absistat, constare, his rebus Prometheum juvari non posse facile sentimus. Nam quae consiliatur, Prometheus dudum ipse perpenderat et repudiaverat, preces autem, ut sibi condonetur a Jove, neque ipse fusurus unquam est, neque alios pro se fundere passurus. Ita Oceanus non nisi communia ac trita amico suo opponit. Quae quum is fortiter refutasset et repudiasset, et argumentis victus et Jovis timore a proposito deterritus in tutum sese recipit. Atque ut partibus suis, risui exponendis, ne videatur defuisse, non aut amici magnanimitatam cum admiratione agnoscit, aut verba, tanto rerum

statu digna ante abitum suum loquitur, sed ut ab initio ita in fine colloquii, avem quadrupedem, qua vehitur, commemorat eamque in stabulo lubenter requieturam esse narrat. Extemplo devolat per aerem cognatum deum deserens, quem se certiorem in re incerta amicum nunquam inventurum esse cum festiva verborum pompa ultro promiserat. Consulto autem et prudens Aeschylus Oceani animum tam imbecillum, fluctuantem et pusillum finxisse videtur, ut Prometheus cum hoc deo comparatus tanto fortior et magnanimior spectatoribus redderetur.

Fabula dignissimo nervorumque plenissimo coronatur fine. Nam quum Mercurius suas partes egisset et is quoque, non parvi honoris deus, suam Jovi obtemperantiam animique mediocritatem coram Prometheo significando hujus magnitudinem et gloriam adauxisset, Jupiter quas minatus erat poenas exsequens deum contumacem inter tonitrua, fulgura, procellas terraeque motus in tartara detrudit.

DE PROMETHEI PERSONA, PRIMAS FABULAE PARTES [10]) AGENTE.

Quantum poeta fabulae implicite nodoseque contexendae defuisse videtur, tantum arte et studio in depingendis primis partibus collocato egregie compensavit. Nam quod artifices in pingendis tabulis facere solent, qui, ubi ad figuram unam aliquam spectantium animos oculosque apprime considerandam admirandamque adducere decreverunt, eam ceteris longe fingunt proceriorem, eminentiorem, pulcriorem, ut reliquas non nisi ad illustrandam amplificandamque illam pingere videantur, eodem artificio eoque ingeniosiori Aeschylus usus est, ut gloria et amplitudine circumfunderet Prometheum, cui arte dramatica duce et adjutrice id novum adjunxit, quod pedetentim herois animi magnitudinem et una cum ea spectatorum et admirationem et misericordiam adaugeret. Ita ab initio videmus, eum incitantibus Robore et Violentia, atrocibus carnuficibus, a Vulcano poena

[10]) Partes Promethei Aeschylei solerter et scienter adumbravit Fr. Jacobsius in libro: Charactere der vornehmsten Dichter in Nachträgen zu Sulzer's Theorie der schönen Künste, tom. II. p. 453—460.

crudeli ac tetra affici. Quo in labore Vulcanus, quum non justa patrari persentiscat, et cognati dei calamitatis misereatur, dolore quidem percellitur et misericordiam significat, tamen Jovis jussui invitus et coactus obsecundat. Jam etiamsi persuasum esset spectatoribus reum luere justam poenam, nimia tamen apparitorum crudelitate animi mollirentur et Prometheo quodammodo conciliarentur. Quid autem, quum accipitur, quare tantis poenis afficiatur? Quid, si audiuntur Vulcani verba (V. 28—36.):

τοιαῦτ' ἀπηύρω τοῦ φιλανθρώπου τρόπου·
θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον
βροτοῖσι τιμὰς ὤπασας πέρα δίκης.
ἀνθ' ὧν ἀτερπῆ τήνδε φρουρήσεις πέτραν
ὀρθοστάδην, ἄϋπνος οὐ κάμπτων γόνυ.
πολλοὺς δ' ὀδυρμοὺς καὶ γόους ἀνωφελεῖς
φθέγξει. Διὸς γὰρ δυςπαραίτητοι φρένες.

Homines igitur sunt, quorum causa dira patitur, beneficia ejus generi humano oblata crimen sunt in aeternum luendum. Porro una cum cruciatu etiam ludibriis circumvenitur et laeditur. Audit, silet. Divina natura indignum est, dolorem ululatu significare, indigni carnufices, quibus respondeat deus [11]). Quanti in his et ad admirationem et ad misericordiam impulsus! At non

---

[11]) Hanc admirabilem poetae artem tam non intellexit Fontanus ad Aesch. Agam. p. XXIX., ut Promethei silentium ex more, ex quo non nisi duo histriones una ante Sophoclis inventum in scena agerent, repeteret. Redarguit eum Welckerus l. l. p. 117. 118.

tam ferreus est Prometheus, ut calamitatem suam imo in pectore non sentiat. Simulac vero de diuturno cruciatu exclamasset, statim ipse se corrigit monendo, esse sibi futura tempora aperta, nullum infortunium se ferire necopinatum. Atque hoc ipsum natura divina supraque sordes humanas elata dignissimum est, quod Prometheus futuri diuturnique cruciatus praescius cum tanta pertinacia animique tanta magnitudine mala perfert et saecula obdurat. Ipse enim spe coeca, magno emolumento (τυφλαῖς ἐλπίσι, μεγάλῳ ὠφελήματι), quo genus humanum beaverat, caret, et cum praesentibus animi corporisque doloribus etiam futuros praesentit et duplicatis uritur. Itaque si ea, qua viro circumspecto alium calamitatis finem ac mortem nullam praevidere licet, tristissima animi humana conditio recte habetur, Promethei malorum et praesensorum et fere infinitorum (ᾧ θανεῖν οὐ μόρσιμον) impavidam patientiam angustos fortitudinis humanae cancellos excedere nec nisi in divinos animos cadere intelligitur. Quantum enim inter hujus malorum perpessionem et Ajacis Telamonii et Philoctetae apud Sophoclem et, ut alios, quorum calamitates poetae exornarunt, taceam, Laocoontis Virgiliani, utpote humana natura praeditorum, discrimen? quorum ille gladio et calamitatem et vitam expellit, alter ululatu miseriam lenire studet, hic denique in brevi malo clamores horrendos ad sidera tollit. (Virg. Aen. II, v. 222.) Unde Tullius, num igitur fortem virum, num magno animo, num patientem, num gravem, num humana contemnentem potes dicere

Philoctetam illum (Tusc. Dispp. II, 14.). Ceterum vide not. 13. (V. 101. sqq.) [12]).

Deinde Choro de ejus infortunio exclamante, nullo quidem pacto luctu et dolore frangitur, maximam autem calamitatem juniorum deorum poenae suae risum esse censet, et in Tartaris, ubi a nemine conspiciatur, vinculis nunquam solvendis vinctus esse mavult, quam in terra *αἰθέριον κίνυγμα* factus aspectu suo inimicos delectare. At vel a pudore compressi animus non eo potest adduci, ut fleat et gratiam cum Jove redintegrare studeat. Ita si spectatores his omnibus ad misericordiam et ad admirationem appelluntur, amiciores Prometheo eo redduntur, quod Jovem, quem tanta beneficia sibi debere dicit (V. 227 —231.), ingratum in eum esse intelligunt.

---

12) Hac occasione animum ad rem metricam advertamus. Ubi enim Prometheus cum formidine quadam volucrium strepitum in aëre factum audit, metro bacchiaco, exspectationem formidolosam (*πᾶν μοι φοβερὸν τὸ προσέρπον*) significanter exprimente utitur. Ac versus singulis pedibus inciditur, ut vox horrore interrumpi solet et haerere. Quod artificium tum demum satis admirari poteris, quum contenderis metra aliis occasionibus adhibita. Ita verbi causa Io, aspecto Prometheo, rupi alligato, quaerit (v. 677.)

τίς γῆ; τί γένος; τίνα φῶ λεύσσειν;

quippe quae de viri aspectu laetetur et curiositate commota concitato utatur numero anapaestico. Nolim igitur cum Hermanno Elem. doctr. Metr. p. 293. et Epit. Doctr. Metr. p. 110. versum Promethei nostrum pro dochmiaco habere. Aliud poetae artificium metricum paullo ante cernitur. Ubi enim ex animi perturbatione ad se ipse rediisset, missos facit anapaestos (v. 93 - 100), revertitur autem ad senarium, sedati animi mensuram. Qua de re conferatur etiam Reisigius in Censura Aeschyli editionis Vellaverianae Ephem. Jenens. A. 1824. p. 229.

Qua de causa Oceanus scenam ingrediatur jam significatum est, quum de fabulae partium compositione ageretur. His addendum est, eo effici, ut Prometheus diversis rationibus ab amicis jubeatur, pacem cum Jove coagmentare, ut ne prorsus pereat. Ita Oceanus, loquax et infirmus senex, adhortandi facit initium. Cujus pusillanimitas quum longius absit a Promethei magnanimitate et contumacia, facile respuitur ejus consilium. Tum in obrussae gradu secundo (ut ita loquar) Oceanitidum, virginum intelligentium amicarumque, consilio atque precibus ad irae moderationem Jovisque timorem admonetur. Vel his spretis rejectisque, clandestina, quae se scire gloriatus erat, edere verbis non admodum acerbis a Mercurio jubetur. Vel sic inflexo nuntius divinus horrendas poenas minatur; qui ultimus probandi gradus est [13]). At etiam ita non vincitur

---

[13]) In hac pedetentim facta firmitatis animi Promethei explicatione etiam Fridericus Jacobsius in libro „Charactere der vornehmsten Dichter" tom. II. p. 454. magnam poetae artem agnoscit.

Eosdem in usus etiam Ionis interventum poeta adhibuit. Cujus cum Promethei doloris patientia animique pervicacia comparata, illa longe multumque ab hoc superatur. Prometheus enim, quae sibi futura sunt, omnium praescius ad luctum lacrymasque adduci nequit, Ionem vero, simulac partem saltem errorum sibi futurorum accepisset, flebiliter lugere ex eo colligitur, quod eam sic alloquitur ille (V. 721, 722.)

πρό γε στενάζεις καὶ φόβου πλέα τις εἶ.
ἐπίσχες, ἔστ' ἂν καὶ τὰ λοιπὰ προσμάθῃς.

Rursusque admonetur V. 767., ut lacrymandi finem faciat. Optime hac de re Fr. Jacobsius Mus. Att. tom. III. p. 346. loquitur: die leiden der verfolgten und umhergetriebenen jungfrau fordern unmittelbar zu einer vergleichung mit den weit groesseren,

animi constantia, ridet minas, irruit in Orcum et cum fractus illabatur orbis Impavidum feriunt ruinae. Hor. III, 3, 7. 8. Dum vero contumacissimam Promethei fortitudinem admirari fere cogimur, hic illic etiam ad ejusdem tanquam amabilis naturae amorem vocamur. Quid enim mollius est et generoso animo dignius, quam quod

---

sichtbarern und dauerndern leiden des Prometheus auf, und die ungemässigte, ungezuegelte heftigkeit, mit welcher sie sich der verzweiflung preis giebt, laesst uns wie in einem spiegel das grosse gemueth des Titanen erkennen. Quae tam pulcre vereque dicta sunt, ut tralatione non potuissent detrimentum non capere. Lessing Laocoonte IV. Ueberhaupt muss man bei der vergleichung des leidenden Hercules mit dem leidenden Philoctet nicht vergessen, dass jener ein H a l b g o t t und dieser nur ein mensch ist. Der mensch schaemt sich seiner klagen nie (Hom. *δάκρυα λεῖβον, δάκρυα θερμὰ χέοντο*), aber der Halbgott schaemt sich, dass sein sterblicher theil ueber den unsterblichen so viel vermocht habe, dass er wie ein maedchen weinen und winseln muessen. Soph. Trach. V. 1088. 89. — *ὅστις ὥστε παρθένος βέβρυχα κλαίων.* Atque inde ab Homero poeta optimus quisque fecit, ut viri fortissimi luctu et lacrymis animos calamitate pressos levarent. Nec erat in hoc, quo Graeci offenderent, quippe qui a natura nondum abalienati et abducti, quicquid huic consentaneum esset, et humanum esse et rectum censerent. Injuste igitur Tullius Dispp. Tusc. II, 11. in poetas ita invehitur: „Videsne, poetae quid mali afferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros; molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam quum accesserunt etiam poetae, nervos omnes virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, quum mores optimos et optimum reipublicae statum exquireret.“ Praeterea Tullius istas heroum lamentationes poetis condonare debebat, quum his ipsis personis lamentantibus etiam virtutis exempla splendidissima ad imitationem spectatoribus lectoribusque proponant. Lessingius l. l. et Ciceronem perstringit et hodiernos homines, qui similiter fortitudinem nimiam i. e. imbecillitate humana majorem a personis tragoediae primariis expostulent (Laoc. p. 176. ed. l.).

responsum dat Oceano, se ejus causa intercedere velle apud Jovem promittenti (V. 351—353.)

> ἀλλ' ἡσύχαζε, σαυτὸν ἐκποδὼν ἔχων.
> ἐγὼ γὰρ οὐκ εἰ δυςτυχῶ, τοῦδ' οὕνεκα
> θέλοιμ' ἄν, ὡς πλείστοισι πημονὰς τυχεῖν.

et effatum, quod narrationi beneficiorum generi humano collatorum poenaeque propterea susceptae mentioni addit V. 454.

> λέξω δὲ, μέμψιν οὔτιν' ἀνθρώποις ἔχων,
> ἀλλ' ὧν δέδωκ' εὔνοιαν ἐξηγούμενος.

Ac nihil omnino poeta praetermisit, quo Promethei virtutes naturaque divina ostendi admirabilesque reddi poterant. Ab initio igitur ad finem usque patitur sicut deum decet fortem et indomitum, qui ἅπερ τελεῖται, πρὸς δ', ἃ βούλεται, λέγει (V. 965.), nihil a Jove timet tamquam deus, divinae immortalitatis conscius ut loquitur V. 969.

> τί δ' ἂν φοβοίμην, ᾧ θανεῖν οὐ μόρσιμον;
> V. 1089. [Ζεὺς] πάντως ἐμέ γ' οὐ θανατώσει.
> et V. 778. ὅτῳ θανεῖν μέν εστιν οὐ πεπρωμένον.

Itaque tam non eum sui poenitet, ut in superbia sua et fastu multum sibi placeat et calamitatem suam cum Mercurii fortuna commutare nolit (V. 1002—1006.).

> τῆς σῆς λατρείας τὴν ἐμὴν δυςπραξίαν
> σαφῶς ἐπίστασ', οὐκ ἂν ἀλλάξαιμ' ἐγώ.
> κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ,
> ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον.
> οὕτως ὑβρίζειν τοὺς ὑβρίζοντας χρεών.

Restat, ut promisso stetur, quod in disputatione de partium fabulae compositione datum est. Quum enim Chorus carmine melico (V. 405—445.) hominum dolorem Promethei causa susceptum et misericordiam cecinisset, ille diserte et uberrime artes enarrat, quas genus humanum docuerit (V. 452—515.). Quam enarrationis et iterationem frequentem et ubertatem, supra vituperatam, propterea poetam admisisse persuasum habemus, quod in beneficiis illis et poena eorum causa luenda totius fabulae punctum ferri intellexit, et spectatoribus ad ξυμπάθειαν commovendis illa plus semel propinari et posse et debere opinatus est. Itaque quod non multa in hac fabula aguntur, siquidem, ut Schuetzii verbis utamur Aesch. edit. tom. II. p. 121., ea tantum in scena agi proprie dicas, quae quibus causis eveniant, suis ipsius oculis cernat spectator, non ex aliorum dictis intelligat, id primarum partium gravitate, dignitate et eminentia compensare operam dedit.

DE CHORO.

Chori partes in Aeschyleis tragoediis aliae sunt atque in Sophocleis et Euripideis. Atque ut in illis ad ejusdem artis progressus animus advertitur, quae apud Sophoclem quasi sedet in summo fastigio, a quo Euripidis mollitia pedetentim delabitur, ita apud Aeschylum Chorus ad eam perfectionem anniti studet, qua post demum a Sophocle donatur. Magis enim magisque naturam, sibi, utpote singulis personis constanti, propriam, exuit et suas, quas in fabulae actione partes habet ex peculiaribus universiores facere incipit [14]) apud Aeschylum; apud Sophoclem autem tantum abest, ut cupiditatibus et πάθεσιν inserviat, ut generis humani et recti pulcrique vox esse videatur, [15]) qua lance quae aguntur omnia pendere queas! [16])

Euripides autem eo a vero aberrat, quod Chorum tamquam supellectilem superfluam agendi

---

[14]) Incipiendi verbum consulto elegimus. Nam Supplicibus Chorus tam abhorret a natura sua legitima, ut ipse primas partes agat. Cf. Jacobsius Introd. ad Aesch. Persas Mus. Att. tom. IV. p. XXIV. et Bluemn. l. l. p. 108. Suevernius l. l. p. 159.

[15]) Bluemn. l. l. p. 136. der Chor dies partheilose organ der vernunft und rechtlichkeit.

[16]) Vid. Horat. Ep. ad Piss. V. 193—201.

fere expertem reddit et carmina canere jubeat tam universalis argumenti, ut, si ejeceris, fabularum *οἰκονομία* detrimentum captura non esset.[17]). Quid enim, ut sententia exemplo corroboretur, nisi verum rectumque dicit Chorus Oedipis, quam in utraque fabula juris est humani divinique doctor et patronus! Euripidis autem tragoediae ad unam omnes comprobant, quae dicta sunt. Verum etiam Aeschyli in Prometheo Chorus alienus est a Sophoclea illa perfectione. Mox enim officii sui memor est, mox ejusdem praecepta negligit. Atque in promtu est talis negligentiae et inconstantiae causa. Nam constat Oceanitidibus, Oceani filiabus, quas diis antiquis a Jove victis rejectisque cognatas Prometheo amiciores esse quam illi oportebat. Jam autem efficitur, ut mox Jovem, sui generis inimicum [18]) infestent, et conviciis ludant, mox officii sui memores rectum praecipiant et Prometheum ad iram moderandam adhortentur. Atque ut Chorus a poeta electus institutusque erat, alio modo sese gerere vix po-

---

[17]) Aristot. de art. poet. XVIII, hl. *τὸν χορὸν ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καῖ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδης ἀλλ᾽ ὥσπερ Σοφοκλῆς.*

[18]) Goeth. Iphigenia in Tauris IV, 5.:

O dass in meinem busen nicht zuletzt
ein widerwille keime! der Titanen
der alten goetter tiefer hass auf euch,
Olympier, nicht auch die zarte brust
mit geierklauen fasse. —
Aus schluenden der tiefe
dampft ihnen (den Olympiern) der athem
erstickter Titanen
gleich opfergeruechen — ein leichtes gewoelke.

terat; in hoc autem utriusque poetae discriminis punctum fertur, quod Sophocles, postquam idem fabulae argumentum sibi effingendum elegisset, Chori partes non Oceanitidibus, sed aliis, qui natura sua neque Prometheo ejusque cognatis Titanibus, neque Jovi et novo deorum imperio dediti erant, procul dubio fuisset tributurus.

Primum, ubi advenit, misericordiam et ξυμπάθειαν suam significat, paulo autem post addit, non mirum esse, quod tam crudelia Prometheus patiatur, quum novi dei imperium teneant, pristinorum osores. Tum omnes, inquit, deos misereri Promethei (V. 168 — 173.) praeter Jovem

ὁ δ' ἐπικότως ἀεὶ
θέμενος ἄγναμπτον νοῦν
δάμναται οὐρανίαν γένναν'
οὐδὲ λήξει πρὶν ἂν ἢ κορέσῃ κέαρ
ἢ παλάμᾳ τινὶ τὰν δυσάλωτον ἕλῃ
τις ἀρχάν.

Nihilominus tamen nimis censet effervescere Promethei iram, quare ita corrigit V. 185 — 187.

σὺ μὲν θρασύς τε καὶ πικραῖς
δύαισιν οὐδὲν ἐπιχαλᾷς
ἄγαν δ' ἐλευθεροστομεῖς.

addit autem V. 192. 193.

ἀκίχητα γὰρ ἤθεα καὶ κέαρ ἀπαρά-
μυθον ἔχει Κρόνου παῖς.

Iterum intelligit et dicit, Prometheum in Jovem peccasse V. 267 — 270. Carmine strophico primo rursus misericordiam aperit et lacrymis suffundi genas clamat (V. 409 — 413.)

ἀμέγαρ —
τα γὰρ τάδε Ζεὺς ἰδίοις
νόμοις κρατύνων ὑπερή. —
φανον θεοῖς τοῖς πάρος ἐν —
δείκνυσιν αἰχμάν.

Narrante Prometheo, quot artes homines docuerit, Chorus monitoris partes suscipit, ita tamen, ut nihil ejus verbis contineatur, quod non jam ille oratione complexus esset. (V. 481—484. collatis V. 477—480.). At quum carmen canit V. 535—676., ascendit paene ad Sophocleum Chori fastigium. Crimina enim Prometheo objiciuntur, (V. 556—558.), Jovis ἁρμονία mortalibus altior et gravior describitur (V. 561—568.), optatur, ut numquam cum illo conflictet ipse, diis denique obedientia promittitur (V. 535—546.).

Vix autem ac ne vix quidem Chori dignitati consentaneum esse videtur, quod, ubi Prometheus ab Ione rogatus ejus errores vaticinari vult, sciendi cupidine adductus sic interpellat (V. 652.) [19])

μήπω γε, μοῖραν δ' ἡδονῆς κἀμοὶ πόρε.

[19]) Hoc autem, ut exputo, ab imperitia quadam poetae repeti debet. Ionis enim fata, antequam ad Prometheum venisset, ab ea subita, enarrare animum induxerat. Quod quum aptius comparare nesciret, fecit, ut Chorus narrandi mandatum ederet, in quo quispiam vestigia quaedam Chori naturae, qua instar populi in cavea praesentis est, facile invenerit. Ipse vero poeta sentiens, hanc introducendi viam perquam esse putidam, eam Prometheum putide defendere jubet dicentem (V. 658—660.)

ὡς τἀποκλαῦσαι κἀποδύρασθαι τύχας
ἐνταῦθ', ὅπη μέλλει τις οἴσεσθαι δάκρυ
πρὸς τῶν κλυόντων ἀξίαν τριβὴν ἔχει.

Chorus, novarum rerum curiosus rursus narrationem expetit V. 770. 807—810. 844—847.

Sensim sensimque timore conficitur et convicia in Jovem eloqui desinit. Etiam consilium de moderanda ira iterat V. 964. 966. 968. 970. 972., et postquam Mercurius precibus et minis adhibitis Prometheum ita flectere conatus erat, ut mysteria de Jove exponentia, quae se scire jactaverat, ederet, sententiam fert mitiorem, qua edenda esse, quae requirantur, censet (V. 1072—1075.). Jam Necropompus eum admonet, ut recedat, quoniam poena, extempulo pendenda Prometheo, si receptui non caneret, eum etiam ipsum sit perditura. At vero Chorus sibi nihil magis exosum esse dicit, quam amicum in calamitate deserere. Dum igitur remanendo et una cum illo in Orcum irruendo amici certi ac fidelis exemplum proponit splendidissimum, se tamen, quippe qui antea Prometheum propter crimen laesae majestatis vituperavisset, deserit ipse et sententiam, ante a se expositam, suo ipsius debilitat exemplo atque antiquat [20]).

---

[20]) Chori inconstantiam et debilitatem defendere conatus est Bluemnerus l. l. p. 110., hac in fabula Chorum primis partibus infirmiorem esse oportuisse disputans. Ea vero causa certe non justa erat, cur Chorus, tantas tragoediae partes agens, naturam suam exueret. Vera enim sunt, quae Schillerus exponit Praef. ad sponsam Messaniam seorsim editam Tubing. A. 1803. p. XIII.: „Dadurch, dass der Chor die theile aus einander haelt und zwischen die passionen mit seiner beruhigenden betrachtung tritt, giebt er uns unsere freiheit zurueck, die im sturm der affekte verloren gehen wuerde." — „Die gegenwart des Chor's, der als ein richtender zeuge sie (die personen) vernimmt, und die ersten ausbrueche ihrer leidenschaft durch seine dazwischenkunft baendigt, motivirt die besonnenheit, mit der sie handeln, und die wuerde, mit der sie reden." Nequimus igitur Bluemnero

Ita ex primo vitio, quod poeta in eligendis statuendisque Chori personis [21]) commiserat, deinceps alia multa nata sunt.

assentiri, l. l. p. 113. disputanti: „*In allen werken des dichters (des Aeschylus) ist die wahl der personen zum Chor meisterhaft getroffen, ihre individualitaet mit sicherer hand gehalten und der contrast mit der hauptperson von groesster schoenheit.*“ Certe haec omnia ad Prometheum vinctum applicare non licet.

[21]) At dixerat quispiam, quod non nisi animi causa annectimus, sapienter et consulto Oceanitidibus Chori partes a poeta tributas esse. Tradi enim ab Androne Halicarnassensi apud scholiasten ad Lycophronem V. 894., quattuor habuisse Oceanum filias, Asiam, Libyam, Thracen, Europam, a quibus quattuor terrae partes nomina traherent. His igitur ingeniose Aeschylum fecisse, ut Chorus constaret, quae terrae incolarum essent quasi legatae, Prometheum inter et deos mediae. Primum vero illorum nominum et hujus officii mentio in Prometheo non invenitur, quae disertis verbis facta inveniretur, si nominum significatione poeta uti voluisset. Deinde nescitur, num Aeschylo quae Andr. narrat, innotuerint. Tertio denique opponi posset, quaternarium Chori personarum numero non sufficere. Unde consequitur, ut plus quattuor personis Promethei vincti Chorus constiterit. Hoc autem si verum est, illorum nominum nec mentio nec significatio in fabulam nostram ullo pacto cadere potest.

DE FATI NOTIONE[22]) IN PROMETHEO VINCTO EXPRESSA.

Fati notio apud Graecos ex complexa deorum historia orta est. Nam quum unus deus altero major ac potentior esse fingeretur, quum principi inferiores dii obstrepere conarentur, nec primus quidem et rex deorum immunis esset a defectione relicuorum imperiique sui interitu, quum denique ad unum omnes in jus divinum et rectum probumque peccata committerent, fieri non potuit, quin altius quiddam et potentius diis omnibus esse homines divinarentur. Insita enim et innata est animo humano sententia, qua numen quoddam hominibus longe perfectius et sanctius res mundanas cum potestate et sapientia moderari auguratur. Cui sententiae quum Graecorum dii non satisfacerent, factum est, ut summum mundi gubernaculum obscuro quidem sed potentiori numini tribueretur. Ita Fatum Graeci excogitarunt, omnes et deos et homines regens, quod variis et diversis *Εἱμαρμένης*, *Πεπρωμένης*, *Μοιρῶν*, *Ἐριν-*

22) Cf. Bluemneri libellus aureolus, observationum praestantium plenus et Suevernii de usu Fati in tragoediis antiquis disputatio ingeniosa libro contenta Aeschylos *Sieben gegen Theben*, p. 76—99.

νύων, Δίκης, Νεμέσεως, Ἄτης, Ἀνάγκης, Δαίμονος, Αἰσῶν, Κηρῶν aliisque nominibus partim *εὐωνύμοις* partim *δυςωνύμοις* compellare solebant [23]). Talis si summus esse cogitabatur omnium rerum rector ac moderator, facile intelligitur, quantas ejus in tragoedia, juris et recti magistra atque disciplina, partes fuisse oporteat. Alterum apparet, nos, qui, dei sapientissimi rerum mundanarum moderatoris justissimique persuasione gaudentes, Fati notione supersedere non solum possimus, verum etiam debeamus, tragoedias fatales nuperas certo nostro jure aversari [24]).

In Prometheo vincto, in qua omnino perpauca aguntur, plus dicitur, Fati in agendo partes sunt fere nullae. At quae de eo effata inveniuntur, contraria sibi sunt. Cratos enim V. 50.

ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.

dicit, ad quae Vulcanus respondet

ἔγνωκα, καὶ τοῖςδ' οὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω.

Prometheus vero huic suam opponit sententiam (V. 520. sqq.):

οὐ ταῦτα ταύτῃ μοῖρά πω τελεσφόρος
κρᾶναι πέπρωται κ. τ. λ.
τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ.

ΧΟΡΟΣ.

τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;

---

23) Bluemn. l. l. p. 114. sqq.

24) Bluemn. l. l. p. 133. sqq. Vide etiam ludibria, quibus Comes a Platen Hallermuende, poeta nostras vere Aristophanicus comoedia, cui titulus est *„die verhaengnissvolle Gabel“* poetas fatales hodiernos festive carpit.

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.
Μοῖραι τρίμορφοι, μνήμονές δ' Ἐριννύες.
ΧΟΡ.
τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος;
ΠΡΟΜΗΘ.
οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.

Atque de Cratus dicto Vulcanique responso duplex judicii genus ferri potest. Aut enim *ἐλευθερίᾳ* ista non nisi immunitas a relicuorum jussu et imperio significatur, qua interpretatione accepta aptiora illa verba ad praecedentia redduntur, aut a Fato liber esse Jupiter edicitur. Ac vel si hoc posterius praeplacet, non est, quod mireris, Jovis apparitorem et deum eidem obnoxium, ut est Vulcanus, aliter de summo deo, qui *ἀκίχητα ἤθεα* et *ἀπαράμυθον ἔχει κῆρ* judicare non ausos esse. At Chorus quoque nescit, Jovem Fato esse inferiorem? Certe Choro talis rei tamque gravis ignorantia parum est digna, nihilominus Prometheum, deum veridicum scientissimumque verum et scire et coram illis eloqui certum est. Qui Jovis interitum instare disertis verbis vaticinatur V. 943—962. quibus addit:

τοιῶνδε μόχθων ἐκτροπὴν οὐδεὶς θεῶν
δύναιτ' ἂν αὐτῷ πλὴν ἐμοῦ δεῖξαι σαφῶς.
ἐγὼ τάδ' οἶδα, χ' ᾧ τρόπῳ.

V. 896. sqq. 782. sqq. 195. sqq.

Fato igitur Jupiter ceterique dii obnoxii sunt futuraeque sortis ignari.

Quae inde consequuntur, et huic disputationi annecti debent, in parte commentationis nostrae proxime sequenti uberius exponemus.

DE
FABULA IN UNIVERSUM DISPUTATUR.

Nulla est tragoedia Graecorum ad nostram propagata memoriam, quae tam sit singularis, tam a relicuis omnibus diversa, quam Aeschyli est Prometheus. Nam quum, ut in disputatione de singularum partium compositione vidimus, tragico poetae imprimis in eo sit versandum elaborandumque, ut quae ad populi sui gloriam et potentiam augendam gesta sint, certe quae ejusdem aut naturam aut statum civilem vehementer commoverint, arte sua effingat et exornet, factum est, ut tragoediae Graecae fere omnes argumentum continerent populare *). Deinde vero ita comparata est tragoediae natura, ut, si modo officii sui, quod est in docendo bono et pulcro, in commovendis animis et ad honestum adducendis, memor

*) Non tam nova poetae tragico fingenda esse quam antiqua et communia arte sua illustranda sagaciter intellexit Horatius, poesis perquam peritus elegansque pulcritudinis spectator Ep. ad Piss. V. 128—130. tuque Rectius Iliacum carmen deducis in actus, Quam si proferres ignota indictaque primus. Quibus de versibus Lessingius Laocoonte p. 243. et 244. ed. opp. nov. p. II., non de sententia poetae, ut opinor, ita disputavit: *es ist erfindung, aber von jener geringern gattung, die Horaz seinem tragischen dichter anrieth. Anrieth, sage ich, aber nicht befahl. Anrieth, als fuer ihn leichter, bequemer, zutraeglicher; aber nicht befahl, als besser und edler an sich selbst.* Suevern. l. l. p. 62. sqq.

esse studet, spectatorum oculis humanas producat personas, quarum pondere se ipsi metiantur. Jam vero si utrimque aliter concinnatam esse Prometheum animum advertimus, in tanti discriminis causam investigare cogimur. Ac quod non nisi deos in Prometheo sua loquentes poeta fecit et agentes,[25]) id ex ejus natura et ingenio, ad astra enitente, videtur repetendum esse. Ea enim erat Aeschyli natura, ut vetustissima et altissima quaeque maxime adamaret, quae recentiora et ex vita humana desumpta essent reformidaret [26]). Unde consequitur, res divinas ei maximae fuisse delectationi, easque imprimis, quae ad antiquissima tempora pertinerent. At quum non is esset Aeschylus, qui res divinas non admodum aptum tragoediarum esse argumentum, ullo modo ignoraret, tale elegit Prometheo, quod quamvis divinum, tam tamen esset cum rebus humanis iisque gravissimis conjunctum, ut audientium nemo non deberet eo commoveri.

Ita autem effecit, ut Prometheus fabula fieret, non quidem popularis, sed quod longe majoris est ponderis, quae genus humanum omne tangeret et quasi complecteretur [27]). Atqui eo ipso, quod

---

[25]) Sola et unica Prometheus est tragoedia, in qua non nisi dii agunt. In relicuis, ut in epico genere si dii producuntur, non tam sua quam heroum causa in scenam progrediuntur. Itaque hoc nomine cum nullo carmine fabulam nostram lubentius compararem, quam cum Valmikii Ramajana.

[26]) Persas excipias, cujus exceptionis causa in propatulo est.

[27]) Haud absimile Eugeniae Goethianae est argumentum, qua fabula docetur, sexum muliebrem solum i. e. a virili sejunctum

deo patienti ac rebelli primas fabulae partes assignavit, novis se implicuit difficultatibus. Quid enim, qualem hujus animum adversus deorum tyrannum, qui tot malis eum affecisset, fingere et potuit et debuit? Quid, si a Promethei partibus stabat, laesit aliud, quam Jovis majestatem et una cum ea religionem? quid, si cum hoc faciens humani generis εὐεργέτην pravum exhibuit et injustum, aliud nisi grati animi jucundos mollesque sensus? At his maluisse quam illi blandiri primo certe obtutu videtur. Nam ut praetereundo perstringantur, quae Prometheus ipse contra Jovem vociferatur, quae de implacabili ejus et contumaci animo Vulcanus et Oceanitides loquuntur, quae denique Io de dira Jovis queritur crudelitate, totum fabulae argumentum, hunc deum et crudelem et ingratum et injustum esse speciem prae se fert commonstrare; crudelem, quoniam Prometheum dirissimis poenis affecit, ingratum, quoniam immemor est beneficiorum, quibus ab illo cumulatus erat, quum imperium divinum assereret, injustum denique, quoniam eum plus punit, quam meritus erat [28]). His accedit, quod oracula, veritatis thesauros et custodes, sacra sanctissima, non tanti facere dicitur, ut libidinis ex-

nihil posse, cum hoc autem conjunctum et felicitate frui et auctoritate gaudere. Haec igitur hanc et Aeschyleam fabulam similitudo intercedit, quod utraque argumento est universaliori quam populariori.

[28]) Menandri fragm. Lucian. Amoribus Opp. ed. Schmied. tom. I. p. 631.

εἶτ᾽ οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον
γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις;

plendae causa falsa divinare et rogantibus pestifera non jubeat. Primum enim somnia mittit Ioni, quae, ut Jovi amanti obviam eat, Ionem invitent. Quibus commotus quum Inachus ea de re consulat Pythium et Dodonaeum oraculum, primum fert *χρησμοὺς αἰολοστόμους, ἀσήμους, δυςκρίτως τ' εἰρημένους*, tum vero diserte jubetur, filiam suam domo ejicere. Ita igitur fit, ut Io, virgo insons et casta, in miserrimam implicetur calamitatem. Veniat ipsa (V. 691—693.)

ἐξήλασέν με κἀπέκλεισε δωμάτων
ἄκουσαν ἄκων. ἀλλ' ἐπηνάγκαζέ νιν
Διὸς χαλινὸς πρὸς βίαν πράσσειν τάδε.

et Prometheus, ita de oraculo Dodonaeo judicans (V. 855—857.)

Δωδώνη, ἵνα
μαντεῖα θᾶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διὸς
τέρας τ' ἄπιστον, αἱ προσήγοροι δρύες.

Itaque non est, quod mireris, Prometheum et Ionem magna cum laetitia Jovis cladem lapsumque imminentem exspectare, ut eloquuntur animi sui sententiam (V. 780—784.)

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.
οὐδέν ἐστι τέρμα μοι προκείμενον
μόχθων, πρὶν ἂν Ζεὺς ἐκπέσῃ τυραννίδος.
ΙΩ.
ἦ γάρ ποτ' ἐστὶν ἐκπεσεῖν ἀρχῆς Δία;
ΠΡΟΜ.
ἥδοι' ἄν, οἶμαι, τήνδ' ἰδοῦσα συμφοράν;
ΙΩ.
πῶς δ' οὐκ ἄν, ἥτις ἐκ Διὸς πάσχω κακῶς;

Jam quum non liceret poetis tragicis, deos reli–

gionis vulgaris nedum majorum gentium malos pravosque exhibere et depingere,*) ut licitum erat Comoediae, eos ludibrio laedere (sic exempli gratia Aristophanes Ranis Bacchum cavillatur), hujus rei, quam modo consideravimus, causa altius latere consequitur. Quibus pensatis quamquam judicatu facillimum esse videtur, Aeschylum, rebus diisque antiquissimis deditum Jovisque nuperorumque deorum odio imbutum, propterea hunc injustum una ex parte fecisse, Prometheum autem altera ex parte ita descripsisse, ut spectatores ad unum omnes statim ejus benevolentiam et in perferendis malis pertinaciam illius malignitati atque crudelitati longe multumque praeferrent, tamen eidem sententiae etiam ipse Aeschylus repugnat. Is enim Agamemnone V. 160. sqq. Chorum dicentem facit:

Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ —
τῷ φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προσεννέπω.
οὐκ ἔχει προσεικάσαι,
πάντ' ἐπισταθμώμενος,
πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν
ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.
τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώ —
σαντα, τὸν πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.

*) Quamquam Diphili est apud Athen. Deipn. XVI. p. 223. A. *ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία ἔστιν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις.*

Quae verba nolim cum Velckero l. l. p. 104. ex poetae ironia quadam repetere. Hoc enim genus a Chori tragici dignitate remotum esse solet, neque *ὅστις ποτ' ἐστίν* verba aliud sibi velle judicamus, quam ut Jovis deorumque incertam nec perfectam scientiam humanam designent. Deinde quum Aeschylus non solum his Agamemnonis versibus, verum etiam permultis relicuarum tragoediarum locis et Jovem et ceteros deos omni qua par erat veneretur modestia, quum Jovem omnipotentem, hominum deorumque regem, omniscium, beatum, sanctum, summum deum compellet, nostra vero in fabula ejusdem veneratio non eadem, ne dicam despectus et odium esse videatur, operae pretium erit accuratius introspicere, quid sibi poeta cum Jove suo, qualis invenitur in Prometheo, voluerit [29]). Erit autem ad hanc quaestionem respondendum tum ex fabula ipsa, tum ex relicuis trilogiae partibus i. e. ex eis, quae argumentum, Prometheo vincto contentum, et praecesserant, et secuta sunt. Primum autem vixit Prometheus sub Saturni imperio. Contra quem quum inter deos seditio exoriretur, et alii eum

---

[29]) Jupiter enim vocatur *τέλειος* Eumen. V. 27. *πάντα κραίνων* V. 760. *ἀμφιθαλὴς* Choeph. V. 392. *πανόπτης* Suppl. V. 139. *ἁγνὸς* Suppl. V. 648. *βασιλεὺς* Pers. V. 532. *πανεργετής* Agam. V. 1508. *ὄλβιος* Suppl. V. 520. Suppl. V. 522. sqq. *ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων μακάρτατος, καὶ τελέων τελειοτάτων κράτος, ὄλβιος Ζεύς.* Cf. Agam. V. 355. Pers. V. 828. Suppl. V. 400. 525. Agam. V. 1586. Choeph. V. 310. 379. 392. 643. Suppl. V. 399. Velck. l. l. p. 99. 100. Bluemn. l. l. p. 101—104. Quam conjunctae sint in Supplicibus Jovis Fatique justi notiones, observat Conzius Introd. ad Suppl. p. XXXIII.

throno dejicere vellent, ut Jupiter imperium acciperet, alii Jovis tyrannidem repudiarent, ille primum una cum Titanibus facere decrevit, deinde vero, ubi hos consilio suo nec idoneos nec faciles esse intelligeret, ad partes abiit Jovis, eique persuasit, Saturnum in tartara esse detrudendum. Haec de se ipse narrat V. 207—229. Non igitur immunem a seditionis proditionisque culpa sese praebuit. Tum, generis humani amore et benevolentia captus suam Jovis opposuit voluntati et ita ignem et una cum eo artes invito illo hominibus tradidit. Quod quum ita esset, non solum Saturno, domino suo antiquo nocuit, verum etiam Jovi, cujus ipse stabiliverat imperium, non obsecundavit. Qua de causa Jupiter iratus eum poena affecit satis sane terribili ac crudeli. Atque hanc culpam luendam esse Prometheo, verbis apertis eloquuntur Cratos et Bia V. 7—11. Vulcanus V. 28. 30. Prometheus V. 123. alibi, neque igitur erat, quod idem V. 229—231. diceret:

τοιάδ' ἐξ ἐμοῦ
ὁ τῶν θεῶν τύραννος ὠφελημένος
κακαῖσι ποιναῖς ταῖςδέ μ' ἀντημείψατο.

τοιάδε enim illa non merces erant beneficiorum, in Jovem collatorum, sed poena delictorum. Huc accedit, ut per totam fere fabulam Prometheus non intermittat, contra deorum principem, ceterosque deos, quos ipse magna ex parte dignitate et muneribus donaverat, vehementer vociferari et contumelias minis mixtas proferre. Dicit enim, fore, ut Jupiter stultitia abductus matrimonium

faciat, ex quo matrimonio ei imperii raptor pariatur. Tum demum illum experturum esse, quantum dominationem inter et servitutem intercedat discrimen (943 — 963.). Quod fatum nisi a se accepisset fugere Jovem non posse; se autem prius docturum non esse, quam ex vinculis liberaretur, ille autem poenam solvere vellet. Quod vaticinium ratum quidem factum est in tertia trilogiae parte; solvitur enim Prometheus ex vinculis, ita tamen, ut corona salictaria, capiti imposita, sempiternam dei rebellis captivitatem et poenam significet, et Chironis piaculum, spontaneo ejus in tartara itinere constans, luculenter comprobet, peccatum a Prometheo commissum esse [30]). Ex quibus Prometheus in fabula omni ex parte justus et a labe immunis esse haberetur Aeschylum noluisse luce diurna clarius apparet [31]). Neque omnino Prome-

---

[30]) Itaque non possumus Bluemnero assentiri, l. l. p. 139. inquienti: „*einen voellig befriedigenden eindruck musste der entfesselte Prometheus hervorbringen, dessen inhalt, wie wir annehmen duerfen, die darstellung des frei und herrlich aus seinen leiden hervorgehenden gottes machte, ohne sich gebeugt, ohne das gute zurueckgenommen zu haben, wodurch er der wohlthaeter der menschheit ward.*" De corona salictaria Chironisque piaculo sua sponte oblato conferri potest Velckerus l. l. p. 52. 85. 263 — 269. plurima ea de re probabiliter et cum acumine exponens.

[31]) Falsus igitur est Schuetzius, qui Edit. p. I. p. 184. in Prometheo vincto generosi animi contumacissimam malorum plane immeritorum patientiam admiratur. Neque callidus Horatii (Od. II, 18, 35.) Prometheus hic noster est, neque Goethii poematium (Opp. edit. noviss. tom. II. p. 79—81.) Prometheum de Aeschyli animo depingit. Est autem hujus tanquam dei rebellis contumacisque imago magis secundum Hesiodeam descriptionem expressa. Attamen ita non eodem quo Velckerus l. l. p. 113. argumento ducti judicamus. Nam si is versibus Aeschyleis

theus dignus esse videretur, qui τὸ φοβερὸν καὶ τὸ ἐλεεινὸν spectatoribus incutiat, nisi beneficia generi humano ab eo oblata ejusque cruciatus hominum in usum gratiamque passi, amorem no-

---

ἀνδρῶν γάρ ἐστιν ἐνδίκων τε καὶ σοφῶν,
κἂν τοῖσι δεινοῖς μὴ τεθυμῶσθαι θεοῖς.

demonstrare conatur, Goethianam Promethei imaginem aliam esse atque Aeschyleam, primum praetermittit, Prometheum Aeschyleum non esse probitatis et pietatis exemplum omnibus numeris absolutum, esse autem deum Jovi infestum, tum, si vel hoc missum facimus, ignorat, versus illos humanam describere ἐυσέβειαν, non divinam. Sunt enim dii alio quam homines metiendi modulo. Ingeniose et sagaciter de Aeschyli Prometheo judicavit vir ingenii felicitate atque doctrinae ubertate illustrissimus Fridericus Jacobsius Gothanus, qui sententiam suam proposuit in Musei Attici tom. III. p. 339—352. Qui quamquam a vero proxime abesse videtur, tamen non omni ex parte rem acu tetigit. Namque si p. 340. Jovi, ut est in Aeschyli Prometheo, tyrannicam nec legibus ullis coercitam voluntatem tribuit, in Promethei autem contumacia, voluntatis libertatem cum illa pugnantem admiratur, magis ab herois partibus stat, quam Fatum sanctissimum, quod Prometheum solvit quidem ex vinculis, corona tamen salictaria ejus culpam aperte significat, stare permittit. Velckeri sententia, quam l. l. p. 113. exponit, rectius dixerim, significat Promethei exemplo genus humanum in malis patiendis exercitum, piaculo autem et subjectione et poenitentia indigens significari, nimis dogmaticam Christianam, quae Christi mortem piaculum pro generis nostri peccatis allatum esse docet, redolere videtur, quam quae poetae antiquo graeco suppeditari possit. Clodius ita de Prometheo judicat in libro „*Versuche ueber die sittten in den werken der griechischen dichter.*“ tom. I. p. 63. *Ein rebell von Jupiter an einen felsen geschmiedet, der seine klagen gegen die tyrannei der goetter ausstoesst; Oceanus in lebensgroesse, der ihn zu der unterwuerfigkeit ermahnt, und Merkur vom Olymp, die verwandelte Io, die auf ihrer flucht vom Prometheus ihr schicksal erfaehrt, machen ein schäuspiel aus, das aus dem wunderbaren und historischen zusammengesetzt ist und sich mit einem donnerwetter, das den Prometheus niederschlaegt, endigt.* Quod judicium hic locum habeto tanquam exemplum stupiditatis criticae.

strum misericordiamque vehementer excitarent. Ut autem Jovem spectatorum animi fastidiant, eo efficitur, quod Ionis virginis bonae et insontis miseriae ex eodem Jove originem traxisse narrantur. Cujus quamquam Jupiter, ut Ovidii verbis utamur Metamorph. I, 600. „tenuitque fugam rapuitque pudorem," tamen, ut idem Naso non irridicule commentus est V. 734. sqq. circumvagae puellae cruciatus precibus Junoni fusis ita lenire studuit

Conjugis ille suae complexus colla lacertis,
Finiat ut poenas tandem, rogat: Inque futurum
Pone metus, inquit, numquam tibi causa doloris
Haec erit; et Stygias jubet hoc audire paludes.

Ita si nec Prometheum nec Jovem justos ac perfectos a poeta depictos esse intelligimus, ex eo consequitur, numen poetam veneratum esse, diis deorumque principe longe et castius et potentius. Discimus autem Fatum, cujus se et Jove sanctiorem potestatem lubenter agnoscit Prometheus V. 520—524.

οὐ ταῦτα ταύτῃ μοῖρά πω τελεσφόρος
κρᾶναι πέπρωται, μυρίαις δὲ πημοναῖς
δύαις δὲ καμφθεὶς ὧδε δεσμὰ φυγγάνω.
τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ.

Ac Fatum diis esse sanctius et augustius, id a populi sententia non abhorrebat *), neque igitur haec pro idonea causa haberi potest, quare Aeschylum religionis statuta et placita laesisse putemus.

*) Ita Herodotus I, 91. *τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ τῷ θεῷ.*

Quamquam infitias non iverim, poetam, quem mysteriis Eleusiniis initiatum fuisse veteres tradiderunt, vulgarem mythologiam deorumque popularium turbam despectui iisque missis non nisi Fatum res mundanas regere sibi persuasum habuisse [32]). Vel tantum abest, ut Fato summas ac singulares partes in hac fabula ab Aeschylo assignatas esse negemus, ut hoc poetae in pangendis Prometheis summum consilium ob oculos animumque obversatum esse censeamus, ut Fatum potentissimum ac sanctissimum et de diis et de heroibus quoties obstreperent, triumphos agere splendidissimos doceret.

Itaque ne miremur, quid sit, quod Aeschylus deorum principi animi ferocitatem et crudelitatem et malam libidinem ea in fabula imputaret, qua Fatum, diis hominibusque longe potentius et sanctius esse demonstrare propositum erat. Utrisque enim simul collocatis et ita inter se comparatis illos eorumque regem hoc debiliores et minus justos describi oportuit. Neque vero nova et inaudita crimina poeta Jovi finxit, quum notum in antiquitate esset et tritum, et libidinosos hic illic esse deos, et multa ab iis facta aequa justitiae lance non fuisse pensa. Ac Jovem a communi ista labe non liberum mansisse, abunde praeter alia innumera docent Semelae, Europae, Danaes stupra, Alcmenae adulterium.

---

[32]) Dignissima sunt lectu, quae de Aeschyli notione Dices et Nemesis admirabili cum acumine et perspicuitate docet vir illustrissimus Guil. de Humboldt in introductione ad suam Agamemnonis tralationem vernaculam p. III.—VI.

Jovem in Prometheo vincto prorsus alium esse, atque a graeca natione fictum, censuerunt praeter alios Bluemnerus, amicus Velckeri anonymus, Velckerus ipse. Atque illi duo hanc diversam dei speciem a fabulosa argumenti istius fabulae antiquitate repetierunt; [33]) Velckerus ponit, Aeschylum mysteriis Eleusiniis initiatum [34]) et philosophia imbutum et excellentem [35]) ludibrio circumvenisse Graecorum de Jove exponentes fabulas. Mysteriorum autem partem a poeta in fabulis detectam, eumque propterea accusatum esse, Aristotelis testimonio comprobatur [36]). Quod a Velckero propositum est, quamquam ante ejus librum inspectum ipse sentirem, tamen postea, re accuratius perpensa, missum feci. Namque ex Aristotelis testimonio non apparet, Prometheo quoque mysteria ab Aeschylo detecta esse, neque fabulae, ut erat in ore vulgi, nova in tragoedia Aeschylea addita esse videntur, nec denique credi potest, poetam, si ludibrio vulgi de diis persuasionem laedere consilium fuisset, ejusdem iram et odium effugisse. Notum enim est, quantum Socrates propter *ἀσέβειαν* subierit supplicium. Accedit maximum, quod Jupiter non nisi ab inimico et iis, qui ad hujus misericordiam et familiaritatem

---

[33]) Bluemn. l. l. p. 123. Anonymus apud Velckerum l. l. p. 92. sqq.

[34]) Aristoph. Ran. 886. sqq.

[35]) Athenaeus Deipnosoph. VIII, 8. tom. III. p. 281. ed. Schweigh. *φιλόσοφος ἦν*, inquit, *τῶν πάνυ ὁ Αἰσχύλος*. Tullius Tusc. Disputt. II, 10. „Aeschylus non poeta solum, sed etiam Pythagoreus. Sic enim accepimus.“

[36]) Eth. Nicom. III, 2.

propensi essent, maledictis perstringitur, ipse in scenam non prodit ac nescitur, quemadmodum in tertia trilogiae parte sese gesserit. Anonymi sententiam refellit Velckerus argumentis acute quidem excogitatis, ad probandum tamen, ut videtur, parum idoneis.

Ut poeta impietatis crimine purgetur aliquid adjungere restat. Namque si diceret quispiam, eo, quod Prometheus vehementer Jovi convicietur, fieri potuisse, ut spectatores fabulae ad eandem in infortunio ἀσέβειαν adducerentur, idque si ille poetae opprobrio verteret, animus advertendus est, Prometheum fuisse deum, eumque Jovi non iisdem quibus homines legibus obstrictum. Nam quod Velckerus l. l. p. 69. sqq. proponit, Prometheum non nisi fictum cogitatumque fuisse deum, non vero a vulgo adoratum, quoniam apud Lucianum Prom. XIV. queratur, sibi templum non stare, id neque ad fabulam nostram applicari potest, quippe in qua plus centies et deus vocetur et ejus relicuorumque deorum affinitas commemoretur, nec per se spectatum verum prorsus est, quum etiam a Sophocle Oed. Col. V. 55. θεὸς πυρφόρος compelletur, nec denique alio consilio a Velckero positum esse videtur, quam ut inventum, significari Promethei persona mentem notione absoluta cogitatum aliquantulum comprobaretur ac muniretur. Accedit etiam, quod, ut jam supra expositum est, in tertia trilogiae parte deus rebellis coronam istam captivorum gerere cogitur.

Corollarii loco adjiciatur, Prometheum Aeschyleum ad aliquam Fausti Goethiani accedere

similitudinem. Ut enim hic, quum ingenii robore et excellentia ad viscera usque scientiae humanae penetrasset, et vel eo nondum contentus altiora peteret, quam quae hominibus mortalibus aperiri fas erat, summum numen laesit, et in mala pestifera sese implicuit ipse, ita Prometheus prudentia scientiaque insigni imbutus iisdem seducitur. Hoc autem magnum inter eos intercedit discrimen, quod hic benevolentia erga genus humanum, ille sui ipsius amore in calamitatem irruit.

Nonnulli in eo laboraverunt, ut, quid Aeschylus Prometheo docere voluerit, explicare studerent. Quorum virorum sententiae, inter se vehementer diversae quamvis maximam partem propterea falsae sint, quod earum auctores non totius trilogiae, tantum Promethei vincti respectum habebant, tamen ipsis eorum verbis ex Bluemneri libro describuntor. Atque Brumojus in libro gallice conscripto, cui titulus est: „*Theatre des Grecs*“ Edit. noviss. Tom. I. p. 296. „*Je serai tenté, inquit, de croire, que le sujet, qui nous paroit monstrueux, est une allegorie sur les rois, et peut-être sur Xerxes ou Darius.*“ *Harpius, homo Francogallus, ceterum elegans libro Lycée ou Cours de Litterature Tom. I. p.* 325. „*Le sujet de Promethée est monstrueux. Jupiter vent punir Promethée, on ne sait pourquoi, d'avoir dérobé le feu du ciel, et d'avoir enseigné aux hommes tous les arts. — Cela ne peut pas même s'appeler une tragédie.*“ Gravina in opere italice conscripto, cui titulus est: *Della ragione poetica p.* 74. „*Nel Prometeo descrisse tutti i sentimentie*

profondi fini dei principi nuovi, che anno acquisito il regno coll' ajuto e consiglio dei più savi, e coll' esempio di Prometeo fà conoscere, in qual guisa questi dopo il felice successo siero del nuovo principe ricompensati, e quanto acquistino della pruova data di troppo intendimento e di prontezza di espedienti. Le quali facoltà, quanto sono state utile al principe nel fervor dell' affare, tanto si rendon sospette nella calma. Onde auviene, che Giove, dopo la rinscita dell' impresa, tosto con protesto di delitto si toglie d'attorno chi ora più di lui benemerito è che acutamente potea discernere e giudicare dell' ope razione del principe." Novam eamque meliorem interpretandi viam praeivit A. G. Schlegelius libro saepius laudato p. 164. sqq., cujus vestigia deinceps reliqui presserunt. Bluemnerus l. l. p. 14. sqq. aliquantulum a sententia Schlegeliana recedens, Prometheo doceri sibi persuasit, hominum salutem, a statu rerum externo, a malo et viribus naturae rudibus interdum impeditam et retardatam, tamen aliquando comparari procreariqué. Quod eo comprobare studet vir egregius, quod beneficia, a Prometheo generi humano Jove invito oblata, durent, quamquam eorum auctor propter ea poenas luat. At vero si hoc poeta significare voluisset, id alia ratione expressisset eaque magis perspicua et significantiore, quam eo, quod beneficia ista a Jove antiquata esse non dicerentur. Nam quum propter multiplicem argumenti speciem tragoediae ita comparatae sint, ut alius aliud ex iis deducere queat, ante omnia tenendum est, aliam summam

colligi non debere, quam quae tam dilucide et plane demonstrata et expressa sit, ut ab unoquoque, pulcri rectique sensu non orbato, facile eadem et inveniatur et intelligatur. In Prometheo vero summam illam, quae vulgo sententia poetae fabulaeve significatio audit, nec planam esse, nec perspicue expressam ex eo apparet, quod inde a Robortello ad Velckerum novissimum interpretem usque eorum quisque aliam et a ceteris diversam ex hac eadem fabula enucleavit uniceque veram vidisse sibi visus est. Ac si hoc tantorum virorum dissidium sententiam istam ipsam quae Prometheo contineri dicitur, in suspicionem vocare potest, tum omnino hac potissimum aetate, in qua quid quaque tragoedia antiqua doceatur curiose investigari, doceri autem in omnibus sententiam aliquam sumi proque certo haberi solet, non inutilis viri periti labor erit, quaerere, utrum poetae Graecorum tragici fabularum summum finem habuerint, ut praecepta philosophica demonstrarentur ac docerentur, an potius opera artis suae a philosophiae dominatione libera esse et per se stare considerarique maluerint. Quicquid id autem est, omnium fabulae nostrae interpretamentorum certe non simplicissimum nec felicissimum Velckeri esse videtur. Nam quod is Prometheo doceri ratus est, id proxime abest a schola Platonica et philosophia hodierna, longissime autem ab Aeschyli sublimi simplicitate. Cohaeret autem arctissime haec fabulam interpretandi ratio cum ea, qua vir iste doctissimus et ingeniosus totam Graecorum mythologiam considerare et explicare

solet. Nihilominus enim tanta cum audacia de ejus Promethei interpretatione judicare conamur, quamquam ejusdem Godofredi Hermanni, viri summi, qui contrariam sententiam tenere ausus est, refutatio, eaque non parvam partem recta et victrix [37]) deterrere possit. Sententiae autem istius, non prorsus perspicue nec perpetue expositae laciniae hic illic in libro laudato sparsae inveniuntur v. c. p. 84.: *Waehrend der geist anringt gegen die natur, sich ueber sie emporarbeitet, durch das selbstbewusstsein ueber sie triumphirt, ahndet er kaum, dass sein eignes recht nicht unbegrenzt sei, dass auch seinem grossen und heiligen streben eine grenze gezogen sei, und indem die natur nach der zulassung der ewigen macht sich durch bittere leiden an seinem erkuehnen raecht*" etc. — „*Der gefesselte Prometheus lehrt uns das erkuehnen des geistes nicht als eine absolute verkehrtheit, wohl aber als verbunden mit schwerer entsagung kennen.*" p. 85. „*Die prophetische mutter hat die ahndung in ihm erweckt, es werde die zeit der vereinigung kommen, wo er den uebermuth des geistes erkennen, der endlichkeit (denn die herrschaft alles endlichen haelt jener Zeus) sich unterwerfen werde, ohne sich selbst aufzugeben.*"

Nemo tam obtuso est ingenio [38]), quin ani-

[37]) In libro vernaculo: *Nachtrag zu der schrift ueber Aeschylische trilogie, nebst einer abhandlung ueber das satyrspiel.* 1826.

[38]) Quamquam de hac similitudine ita censet Velckerus l. l. p. 74. „*Durch die vergleichung mit dem leidenden versoehner ent-*

madvertat, ad quantam Promethei Aeschyleae argumentum aliorum populorum revelationis divinae accedat similitudinem. Dico autem doctrinam, quae Dei filium in terram descendisse, homines a malis liberatum et meliora de rebus divinis doctum exponit. Ac certe si Christiani σωτῆρος vitam et facta cum Prometheo comparemus, primum in eo conveniunt, quod eorum quisque erudiendo generi humano operam navabat, Christus autem spiritalem, ut hoc utar, i. e. animae, Prometheus temporalem hominum mortem prohibebat (V. 244. 245.)

ἐξερυσάμην βροτοὺς
τοῦ μὴ διαῤῥαισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν.

tum vero cuique eorum propter beneficia, quibus genus humanum cumulaverat, cruciatus erant subeundi. Praeterea autem, quod per interest multum Christi pietatem perfectionemque inter et Promethei non perfectam naturam, hoc etiam magnum inter eos discrimen esse apparet, quod ille a Deo patre ad opus in terra patrandum legatus id consentiente eodem perfecit, Prometheus invito deo-

---

steht nur verwirrung." et p. 110. „*Am wenigsten koennen wir die idee eines leidenden gottes, der bei den heiden nur die leidende und sterbende aber im tod unvergaengliche natur und durch diese ein trostreiches sinnbild der menschheit ist, als Dionysos, Adonis u.s.w. mit dem gange der dichtung vereinbarlich finden.*" Ego vero sic existimo; si beneficia generi humano a Prometheo oblata ejusque cruciatus pro hominibus perpessi, Aeschylo nullius momenti fuissent, tum nec longiorem beneficiorum hominibus collatorum enarrationem locum tenere, neque omnino Promethei personam tragica dignitate insignem esse. Quo de conferantur, quae tertia et ab initio hujusce partis commentationis nostrae disputata sunt.

rum patre et irato generi humano multimodis benefecit, ejusque jussu poena affectus est. In quo discrimine si internam rei Christianae praestantiam in comparationem non vocamus, sed solam spectamus utriusque et voluntatem et audaciam, non possumus, Graeci quam de generis humani sospitatore sibi conformaverant sententiam Christiana quamquam minus sanctam piamque tamen audaciorem esse non judicare. Nam quod Prometheo propter *τὸν φιλάνθρωπον τρόπον* et *διὰ τὴν λίαν φιλότητα βροτῶν* a Jove timenda erant, ea non erant Christo, cui cruciatus illi in coelis reduci a patre amantissime resarciebantur. Ille deos laesit, ut homines bearet, hic homines beavit, ut suae Deique patris obsecundaret voluntati.

DE MYTHO

Fabulam Prometheam enarrat Hesiodus Theogon. V. 521—616., quive denique ejus centonis auctor est: Prometheum, Japeti et Oceaninae filium, [39])

---

[39]) *Ὠκεανίνη*, quam Promethei matrem fuisse Hesiodus narrat, pro nomine patronymico debet haberi, quo Oceani filia significatur. Ac tum in nostra fabula V. 297. Oceanus Prometheum sic affatur:

> *τό τε γάρ με, δοκῶ, ξυγγενὲς οὕτως*
> *ἐξαναγκάζει*

tum Tzetzes ad Lycophr. Cass. V. 1412. *Ἀσίας*, inquit, *καὶ Ἰαπετοῦ Προμηθεὺς καὶ Ἐπιμηθεὺς* et poeta ipse Asiam Epimethei matrem fuisse dicit, quam Andron Halicarnassensis ab eodem Tzetza ad Lycophr. V. 894. laudatus Oceani filiabus annumerat.

Atlantis, Menoetii et Epimethei fratrem, deum calliditate insignem, quum dii hominesque Meconae inter se certarent, ut Jovem deruncinaret studuisse. Huic enim unam partem carnes et intestina et pinguedinem cuti involuta et alvo bovis occulta alteram autem partem ossa etiam nitida pinguedine obducta ad eligendum proposuisse. Jovem igitur dolo victum quidem, sed ita iratum esse, ut mortalibus, tanquam Promethei clientelis ignem non daret. Quem quum Prometheus Jove et nescio et invito clepsisset et cum hominibus communicasset, [40]) eum ipsum rupi alligatum poenas dedisse, hominibus autem Pandoram cum pyxide pestifera missam esse. Ac Prometheo poenas luenti tamdiu aquilam jecur, noctu rursus auctum, devorasse, donec Hercules Alcmenae filius cruciatu finem fecisset, V. 529. sqq.:

οὐκ ἀέκητι Ζηνὸς ὀλυμπίου ὑψιμέδοντος
ὄφρ' Ἡρακλῆος Θηβαγενεὺς κλέος εἴη
πλεῖον ἔτ' ἢ τοπάροιθεν ἐπὶ χθόνα πουλυβότειραν.

Quamquam de hac Asia inter scriptores veteres diversitas sententiarum est. Herodotus enim Melpomenes cap. 45. *ἡ Ἀσίη*, ait, *ἐπὶ τῆς Προμηθέος γυναικὸς τὴν ἐπωνυμίην ἔχειν λέγεται.* A Lycophronis Tzetzaeque partibus stant Apollodorus Bibl. I, 2, 3. et scholiastes Apollonii Rhodii ab H. Stephano editus ad I, 444. cujus verba haec sunt: *Ἡ Ἀσία ὠνομάσθη ἀπὸ Ἀσίας τῆς Προμηθέως μητρὸς καὶ Ἄτλαντος.* Aeschylo Promethei mater est Themis V. 217. 899.

[40]) Poenam a Prometheo solutam esse, inter mythographos constat, causam poenae alii aliam exhibent. Ita Duris, ab Apollonii Rhodii scholiastis ad Argon. II, 1249. excitatus Prometheum propter Minervae amorem rupi affixum esse enarrat. Praeterea scholiastae isti Agroetam laudant Promethei fabulam ridicule *ἀλληγοροῦμενον*.

ταῦτ᾽ ἄρα ἀζόμενος τίμα ἀριδείκετον υἱόν.
καί περ χωόμενος, παύθη χόλου, ὃν πρὶν ἔχεσκεν
οὕνεκ᾽ ἐρίζετο βουλὰς ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Quam Hesiodeam enarrationem Aeschyli animo obversatam esse non est quod dubitetur. At vero, ut licet poetae imprimis tragico, fabulae partim retinebat, partim mutavit, partim denique parti praeponebat aut postponebat, prout usibus suis maxime esset consentaneum. Ita duplicem, quam Theogonia habet, Promethei culpam simplicem reddidit, quae sunt in sciendo et tacendo mysterio, de Jove exponente, de suis addidit, dolum Promethei, ab Hesiodo commemoratum fecit, ut praetereundo Chorus significare videri possit V. 538. sqq.:

μηδ᾽ ἐλινύ —
σαιμι θεοὺς ὁσίαις θοί —
ναις ποτινισσομένα
βουφόνοις.

Prometheum denique Jove invito liberatum iri praedicit; ut paucis verbis dicamus, in eo elaboravit, ut suus Prometheus Hesiodi longe effingeretur divinior, excellentior, fortior, non callidus dolosusque fabricarum structor Hesiodeus, sed heros, admiratione et misericordia dignissimus. Quo de optime disputat Frid. Jacobsius Mus. Att. tom. III. p. 340.

Lucianus dialogo, qui Prometheus inscribitur, Hesiodum sequitur, non Aeschylum. Narrat enim jecur ei petrae affixo statim devoratum esse, non postquam clandestina de Jove edicere noluerit. Ita Mercurius post vincula aptata *καταπτήσεται δὲ,*

inquit, ἤδη καὶ ὁ αἰετὸς ἀποκερῶν τὸ ἧπαρ, ὡς πάντα ἔχοις ἀντὶ τῆς καλῆς καὶ εὐμηχάνου πλαστικῆς. et paulo post hunc Promethei dat criminum elenchum; οὐδὲν δεινὸν εἰργάσω, ὦ Προμηθεῦ, ὃς πρῶτα μὲν τὴν νομὴν τῶν χρεῶν ἐγχειρισθεὶς, οὕτως ἄδικον ἐποιήσω, καὶ ἀπατηλὴν, ὡς αὐτῷ μὲν τὰ κάλλιστα ὑπεξελέσθαι, τὸν Δία δὲ παραλογίσασθαι ὀστᾶ καλύψας ἀργέτι δημῷ;“ μέμνημαι Ἡσιόδου, νὴ Δί', εἰπόντος. ἔπειτα δὲ τοὺς ἀνθρώπους ἀνέπλασας, πανουργότατα ζῶα, καὶ μάλιστά γε τὰς γυναῖκας. ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸ τιμιώτατον κτῆμα τῶν θεῶν τὸ πῦρ κλέψας, καὶ τοῦτο ἔδωκας τοῖς ἀνθρώποις. (Luc. Opp. ed. Schmied. tom. I. p. 73. 74.). At θεῶν διαλόγων primo Jupiter ad Promethei rupem accedit, eumque et precantem, ut e vinculis solvatur, et tacitum istud de Thetidis filio ultro edentem ut Vulcanus solvat, imperat. (Luc. ibid. p. 76. 77.) [41]).

41) De Thetidis filio, Jove majore futuro Ovid. Metam. XI, 221. sqq.

Namque senex Thetidi Proteus, dea, dixerat undae
Concipe: mater eris juveni, qui fortibus actis
Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.
Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet,
Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes,
Jupiter aequoreae Thetidis connubia vitat.

a Bentlejo laudatus ad Horat. Carm. I, 12, 19. Apollodorus vero, quem Tzetzes ad Lycophr. Cass. V. 178. excitat, Thetidem ipsam Jovis connubia vitasse narrat, quippe a Junone nutrita, eamque ob rem iratum Jovem mortali eam in matrimonium dedisse. At idem in his mirifice peccat: Ποσειδῶν καὶ Ἀπόλλων καὶ Ζεὺς ἐκωλύθησαν κατὰ Αἰσχύλον ὑπὸ Προμηθέως· φησὶ γάρ· ἢ τέξεταί γε παῖδα φέρτερον πατρός. Hoc enim ipsum clandestinum illud fuit, quod cum Jove communicare Prometheus Aeschyleus noluit.

ANNOTATIONES NONNULLAE

AD TRALATIONEM VERNACULAM.

V. 2. ἄβατον librorum omnium auctoritate stabilitum retinuimus, improbante quidem Reisigio Censura Editionis Vellaverianae in Ephemerid. Jenensibus A. 1824. mens. Februar. p. 225., cujus argumentis sua opposuit Vellaverus Aesch. tom. II. p. 419. Cui quum omnino assentiamur, ubera hujus rei expositione supersedere possumus. Unum adjicimus, quod Reisigius eam lectionem ferri nequire dicit, quoniam in ipsa fabula plures accedant ad illam regionem desertam, nullius ponderis esse, primum quum eorum nullus pedibus ad iter faciendum utitur, deinde quod Io, quae sola pedestri itinere accedit tanquam virgo βούκερως V. 608. 664. 665. 694. 695. et οἰστροπλήξ, per devia aeque ac per pervia furore fertur ut de Syringe Ovidius canit Metam. I, 701.

et precibus spretis fugisse per avia Nympham

dictiones denique poetarum non tam stricte et ad verba accurate intelligi debent ac si libros historicorum interpretamur. Chorus autem Oceanitidum curru vehitur alato, ut patet ex Promethei earum adventum sentientis verbis V. 124—126. φεῦ φεῦ, τί ποτ' αὖ κινάθισμα κλύω Πέλας οἰωνῶν; αἰθὴρ δ' ἐλαφραῖς Πτερύγων ῥιπαῖς ὑποσυρίζει, et ex ipsarum narratione V. 138. σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ. V. 287—290. καὶ νῦν ἐλαφρῷ ποδὶ κραιπνόσυτον θᾶκον προλιποῦσ', αἰθέρα δ' ἁγνὸν Πόρον οἰωνῶν ὀκριοέσσῃ χθονὶ τῇδε πελῶ. Oceanus in bestia alata equitat V. 294. sqq. τὸν πτερυγωκῆ τόνδ' οἰωνὸν Γνώμῃ στομάτων ἄτερ εὐθύνων. V. 402–404. Mercurius denique deus, isque alatus advolasse in propatulo est.

V. 49. ἅπαντ' ἐπράχθη omnes libri habent praeter quod Ald. ἅταντ' exhibet. Vertit igitur Jacobsius: *nichts als die herrschaft fehlt den himmlischen*, qua tralatione aliquid falsius excogitari vix potest. Θεοῖς enim ex verbis, quibus inclusum est, πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν evulsum ad ἐπράχθη locatur, stribligine non

ferenda admissa. Stanlejus conjecit ἐπαχθῆ, quod inventum bona pars editorum in textum recepit. At in eo non intelligitur, omnia praeter deorum imperium exosa esse dici, nisi quis ad eandem ὑπερβολὴν se recipere velit, qua usus est Flaccus Serm. I, 1, 1.

Qui fit, Maecenas, ut NEMO, quam sibi sortem etc.

Alii alia excogitarunt, quae recte Vellaverus futilia esse dicit, modo ne vulgatam sanam habuisset. Dolendum autem mirifice, eodem Vellaveri effato Reisigium impeditum esse (Cens. l. l. p. 227.), quo minus suam probatam sibi conjecturam proponeret. In hac ἀπορίᾳ Godofredi Kahntii, viri amicissimi, scholae Zizensis Subrectoris, qui ἐτάχθη conjecit, inventum lubenter recepi. Ita enim et praecedentia et consequentia bene cohaerent et decurrunt. Cf. V. 43. 44. 48. 50. „Omnia, Cratos inquit, jussa sunt ac destinata praeter imperium deorum. Nemo enim immunis est a potestate aliena praeter Jovem. Inutilia igitur vota dici debent, qualia facis ἔμπας τις αὐτὴν (χειρωναξίαν) ἄλλος ὤφελεν λαχεῖν.“ Accedit ἄκος οὐδὲν τόνδε θρηνεῖσθαι· σὺ δὲ τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην. Aliquanto post vidit mecum Kahntius, hanc suam conjecturam in libro *Archiv fuer Philologie und Kritik* tom. I. p. 818. a Hauptio Regiomontano jam esse praeoccupatam.

V. 86. Inutilis Elmsleji conjectura est προμηθίας, quia bene fertur προμηθέως, quo nomine substantivo Aeschylus Suppl. 697. ed. Gl. προμαθεὺς εὐκοινόμητις ἀρχά usus est. Quo de cf. Velck. I. l. p. 70.

V. 331. De proverbio πρὸς κέντρα λακτίζειν, quod etiam occurrit Agam. V. 1624. ed. Gl. πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, videndus est Wetstenius ad Act. Apost. IX, 5. XXVI, 14. Elmsl. ad Eur. Bacch. 794.

V. 337. De proverbio γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προστρίβεται vid. Elmsl. ad Eur. Bacch. 385.

V. 353—384. Hanc narrationem libri omnes Oceano tribuunt. Elmslejus autem quum non videret, quo pacto ille haec dicere posset, Prometheo eam his verbis vindicavit (cens. Prom. edit. Blomfield. in Ephemerid. Edinburgh. A. 1820. p. 231.): „Tota haec ῥῆσις, quae vulgo Oceano tribuitur, manifesto Prometheo continuanda est.“ Ac manifestius hoc erat censori, quam quod argumentis munire ei placeret. Animi causa partes ejus suscipiantur et argumenta, quibus ad istud judicium adductus esse videtur, exponantur. Primum igitur οὐ δῆτα magis convenit Prometheo, quibus verbis iterum affirmet sententiam suam paulo praecedentem

ἐγὼ γὰρ οὐκ εἰ δυστυχῶ τοῦδ' οὕνεκα
βουλοίμ' ἄν, ὡς πλείστοισι πημονὰς τυχεῖν.

καὶ autem addit, ut suo exemplo deterrenti adjungat fratris, consimile propter peccatum puniti; tertio poni posset, *κασιγνήτου* loquentis significare fratrem, et quum Atlas Promethei esset germanus, loqui Prometheum, non Oceanum, cui *σου* adjiciendum fuisset. Quantum denique hoc esto, quod tota oratio ad deterrendum ab intercessione Oceanum habita, apta igitur Promet eo in illius autem ore inepta esse videtur. Atque nescio utrum his an aliis argumentis commoti abierunt in Elmsleji sententiam manibus pedibusque Blomfieldus, Lachmannus de mensura trag. p. 20. et Vellaverus, qui in appendice, tomo editionis Aeschyleae altero annexa p. 424. tenax est inventi Elmslejani, quamquam commonstratione et ratiocinatione prorsus supersedere ei v sum est. Jam quum omnes libri in eo consentiant, ut Oceano orationem illam tribuant, non id videndum est, possitne etiam Promethei esse, sed quaerendum, num Oceani esse non debeat. Narratur autem Atlantis et Typhoei exemplum, cujus narrationis initium est *οὐ δῆτ', ἐπεί με καὶ κ. τ. λ.* Atque haec dicit Oceanus, ut se Promethei sententiam approbare significet. „Profecto, inquit, ne ita fiat i. e. ne me in tuam calamitatem implicem, nam me praeter tuam sortem miseram terrent, terunt etiam fratris tui et Typhoei exempla, qui quum diis se opposuissent, criminis diras poenas luunt." *σου* autem additamento bene carere potest Oceani oratio, quum eo, quod Atlantis nomen apponit, statim intelligitur, non suum eum sed Promethei fratrem dicere. Diutius vero in enarrando Typhoei fato commoratur, ut hoc exemplo satis terribili etiam Prometheus Jovis timore percutiatur et animi iracundiam componere moveatur. Unum, quod Vellaverus ad corroborandum Elmsleji inventum attulit, vaticinium V. 375—380. contentum in Oceani personam non cadere, aptum autem esse Promethei naturae fatidicae, facile eo confutatur, quod ea res etiam Oceano, Titani, et deae fatidicae V. 218. filio innotuisse poterat. Non igitur est, quod librorum consensum aspernemur et sine causa ad improbandum idonea nova moliamur. Accedit etiam, ut nonnulla in hac oratione inveniantur, Prometheo nullo pacto convenientia. Quid enim? Is in Typhoei atrocitate depingenda tam longe commoraturus fuisset? is dei rebellis, qualis ipse erat, verba contra Jovem edicta *ὑψήγορα κομπάσματα* V. 368. vocaturus fuisset? et fere ironica circumscriptione

ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος,
καταιβάτης κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα,
ὃς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων
κομπασμάτων.

qua se ipse carperet usurus fuisset? Quod argumentum verba ὑψηγόρων κομπασμάτων non apta esse Prometheo, quod Reisigio (Cens. Aesch. Vell. Ien. Eph. 1824. p. 239.) debetur, se non intellexisse mira cum ingenuitate confitetur Vellaverus, et dicit, censorem causarum, quas ipse attulerit, nullam refutasse. At causas nullas attulit Vellaverus praeter illam, quae de fatidica Promethei natura agit. Tum etiam τείρειν vocabulum ineptum est Promethei contumaciae et fortitudini in perferendis malis conspicuae, aptissimum autem sicut sententiae repentina mutatio fluctuanti ac debili senis animo *). Ceterum mirum est, bis Atlantis laborem hac una fabula fusius commemorari V. 434. sqq.

μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον
ἐν πόνοις ἀδαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεῶν
Ἄτλανθ᾽, ὃς αἰὲν ὑπέροχον
σθένος κραταιὸν
οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ὑποστενάζει

si contenduntur cum iis V. 356—358.

Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
ἕστηκε, κίον᾽ οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
ὤμοιν ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

V. 386. ὀργῆς νοσούσιν praetuli ex Reisigii conjectura ad Soph. Oed. Col. 1190. Enarr. p. CL. Nam in ὀργῆς νοσούσης lectione non intelligitur, quomodo ira aegrotari dici possit. Structura verborum haec est: ὅτι λόγοι εἰσὶν ἰατροὶ ὀργῆς — νοσοῦσιν, eadem, quae in versibus a scholiasta Veneto ad Iliad. XIV, 393. allatis:

Ἰατρός ἐστιν ὁ λόγος ἀνθρώποις νόσων
ψυχῶν γὰρ οὗτος μόνος ἔχει κουφίσματα.

Cf. Blomfield. p. 29.

V. 425. κραταιὸν, quod vocabulum hoc loco ineptum est, mutavi ex conjectura in κρατύνων.

V. 428. Pro Ἀραβίας conjecit Hermannus Γάβιοι Obss. critt. p. 9. Cf. autem, quae contra hanc conjecturam Jacobsius Mus. Att. tom. III. p. 408. sqq. et Velckerus l. l. p. 20. not. 20. protulerunt.

---

*) De Typhonis fabulae varietate videndus est Tzetzes ad Lycophr. Cass. V. 177.

V. 434. ἐν πόνοις ἀδαμαντοδέτοις — λύμαις non est structura asyndeta, sed eam casus tertius in utroque vocabulo habet naturam, quam prioris lingua Sanscrita casu locativo, alterius instrumentali redderet.

V. 442. μυχὸς γᾶς non nisi unam notionem comprehendunt, sicuti vertimus *erdschlucht* vocabulo germanico, quae notio idem vult sibi, quod Tartarus. Ratione grammatica Ἄϊδος positum est, quo non significatur, esse terrae angulum Orci partem.

V. 469. Interpungo cum Reisigio Comm. Critt. ad Oed. Col. p. 366. πέπονθας αἰκὲς πῆμ', ἀποσφαλεὶς φρενῶν Πλανᾷ.

V. 472. Verbis σώμασίν θ' ὅπως mendum manifestum inest. Duo enim inventa inter se similia numerantur et sibi quasi opponuntur, unum, quod jumentis jugum Prometheus imposuerit, alterum, quod curribus equos alligaverit. Jam vero si σώμασίν θ' ὅπως legitur, de altero invento duo praedicantur, de altero nihil. Quo fit, ut membrorum symmetria, cui multum antiqui poetae indulgent, prorsus dissolvatur. Tum vero quod eo consilio equos curribus alligasse dicit, ut hominum corporibus maximorum onerum laborumque successores fierent, cum appositione, quo equi currus vehentes ἀγάλματα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς nuncupantur, nullo pacto congruit; aptum autem est egregie invento prius narrato. Etenim jumenta, quae onera vehunt, vere sunt μεγίστων μοχθημάτων διάδοχοι σώμασιν θνητοῖς, non autem equi, luxus ornamenta. Ac sana est oratio et bene concinata, si V. 472. σώμασίν γ' ὅπως et V. 774. ὑφ' ἅρμα τ' legitur. Quod posterius jam pridem quidem Turnebus, a Blomfieldo laudatus, excogitavit, absonum tamen, immutata τε particula, V. 472. collocata.

V. 482. De somniorum tum fide tum infidelitate videatur Ovid. Heroid. XIX, 105.

Sub aurora jam dormitante lucerna.

Tempore quo cerni somnia vera solent. et Hom. Odyss. XIX, 560—567.

V. 627. Bonam Elmsleji conjecturam τί μῆχαρ amplexus sum (Rewiew of Blomfield Prometheus in Edinburgh Rewiew 1819. N. XXXIII. p. 236.). Vulgatam bene refutavit Reisigius Cens. ed. Vell. in Eph. Jenens. 1824. p. 240.

V. 748. Cf. quae de hoc versu disputata sunt a Velckero l. l. p. 33.

V. 775. 776. κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν,
ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

Huic Ionis similem sententiam Antigona apud Sophoclem profert Ant. V. 461—464.:

εἰ δὲ τοῦ χρόνου
πρόσθεν θανοῦμαι, κέρδος αὔτ' ἐγὼ λέγω
ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς
ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;

et Andromache Euripidea in Troad. V. 638—641.:

τοῦ ζῆν δὲ λυπρῶς κρεῖσσόν ἐστι κατθανεῖν.
ἀλγεῖ γὰρ οὐδὲν τῶν κακῶν ᾐσθημένος
ὁ δ' εὐτυχήσας εἰς τὸ δυστυχὲς πεσὼν
ψυχὴν ἀλᾶται τῆς πάροιθ' εὐπραξίας.

ex quibus versibus comparatis cum effato Aeschyleo perspicue apparet diversum utriusque poetae ingenium. Aeschylus enim satis habuit, Ionem brevem sententiam eloquentem fingere, Euripides autem fecit, ut Andromache, femina calamitate depressa, enunciatum suum more philosophico exponeret et argumentis muniret.

Apud Harivium, poetam Arabum celeberrimum, Abu Zeidus in *λέσχῃ* sexta idem illud sentit, quod ita reddit Fridericus Rueckertus *παραφράσεως* ingeniosae p. 134.

Der tod ist besser fuer einen mann
als so zu leben wie vieh geschoren.

Ajax Telamonius apud Homerum Iliad. XV, 511. sqq. suos alloquitur

βέλτερον, ἢ ἀπολέσθαι ἕνα χρόνον, ἠὲ βιῶναι
ἢ δηθὰ στρεύγεσθαι ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι.

At longe alia mens est Choro in Soph. Antig. V. 220.

οὐκ ἔστιν οὕτω μῶρος ὃς θανεῖν ἐρᾷ

et Iphigeniae apud. Eur. Iph. Aul. V. 1258—1260.:

τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν.
τὰ νέρθε δ' οὐδέν· μαίνεται δ', ὃς εὔχεται
θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ θανεῖν καλῶς.

Aristot. Ethic. III, 6. *φοβερώτατος ὁ θάνατος.*

V. 791. *ῥητὸν αὐδᾶσθαι*, de infinitivo abundanti videatur G. H. Schaeferus ad Sophoclis Philoct. V. 847.

Der

Gefesselte Prometheus

des Aeschylos

metrisch übersetzt.

Personen:

Hephästos.

Gewalt und Kraft.

Prometheus.

Der Chor, bestehend aus den Okeaniden.

Okeanos.

Jo.

Hermes.

Erste Szene.

Hephästos, Gewalt und Kraft, Prometheus.

Gewalt und Kraft.

Im fernsten Land der Erde sind wir angelangt,
Im Skythenland, in ungebahnter Wüstenei.
Du, o Hephästos, musst den Befehl ausführen nun,
Den dir ertheilt der Vater, diesen Bösewicht
An steiler Höh' des Felsenhangs zu festigen
Mit unauflöslicher Eisenbandenfesselung.
Denn deine Blüthe, künstevollen Feuers Glanz,
Stahl er und gab den Menschen sie; für solch' Vergehn
Muss Züchtigung er dulden denn den Himmlischen;
Damit Kronions Herrscherthum er tragen lern',
Ablassen von der Menschenfreundlichkeit, sodann.

Hephästos.

Gewalt und Kraft, für euch ist ausführbar ja wohl
Des Zeus Befehl, und nichts ist mehr euch hinderlich.
Mir aber fehlt Muth, einen mir verwandten Gott
Gewaltsam anzuheften frost'ger Felsenschlucht.
Und dennoch heischt zum Werke Muth Nothzwang von mir:
Denn leicht des Vaters Worte nehmen, bringt Gefahr.
Der rathserfahr'nen Themis hochgesinnter Sohn,
Mit schwerzulösenden Eisenbanden werd' ich ein
Gezwung'ner dich Gezwung'nen an die Klippe hier
Annageln, wo du keines Menschen Stimme, noch
Gestalt erblickst, von heller Sonnengluth gebrannt

Der Farbe Blüthe wechseln wirst. Zur Freude wird
Die buntgeschmückte Nacht verbergen dir das Licht,
Und drauf die Sonne schmelzen dir des Morgens Reif.
Und dieses Uebels Kummerlast wird immer dich
Zernagen; denn der Retter ist noch nicht erzeugt.
Dies ist der Lohn für deine Menschenfreundlickeit.
Denn wie ein Gott du Götterzorn nicht scheuetest,
Gabst widerrechtlich Ehren du den Sterblichen.
Dafür bewachst du diesen freudenlosen Fels
Aufrecht und schlaflos, ungekrümmt das Kniegelenk.
Der Klagen viel, unnützes Wehgejammer wirst
Du stöhnen. Unversöhnlich ist ja Zeus Gemüth.
Denn rauh ist Jeder, der nur jüngst zur Herrschaft kam.

Gewalt.

Auf denn! was zauderst und was klagst vergeblich du?
Wie? hassest du der Götter grössten Feind denn nicht?
Der an die Menschen deinen Ehrenlohn verrieth?

Hephästos.

Es wirkt Verwandtschaft mächtig ein, Freundschaft dazu.

Gewalt.

Ja wohl, doch wie ist's möglich, auf des Vaters Wort
Zu achten nicht? wirkt dieses nicht noch mächtiger?

Hephästos.

Du bist doch immer unbarmherzig, voll von Trotz.

Gewalt.

Nun den beklagen, führt zu nichts, du aber thu'
Das einmal nichts Erzielende vergeblich nicht.

Hephästos.

O du mir vielverhasste Handwerksmeisterschaft!

Gewalt.

Was hass'st du sie? denn g'rad' heraus, es hat die Kunst
Am gegenwärt'gen Leidensmühsal keine Schuld.

Hephästos.

Gleichviel, ich wünscht' ein And'rer hätte sie erloost.

Gewalt.

Bestimmt ist Alles ausser'm Götterregiment;
Denn eigner Herr ist keiner ausser Zeus allein.

Hephästos.

Ich seh' es ein, und gegenreden kann ich nicht.

Gewalt.

So eilst du nicht, in Fesseln den zu schlagen da?
Dass nur der Vater dich beim Zaudern nicht erblickt.

Hephästos.

Doch kann man ja die Ketten sehn, die fertigen.

Gewalt.

Auf! greif sie, um die Hände schlag' mit harter Kraft
Des Hammers sie, und keile sie den Felsen ein.

Hephästos.

Vollendet ohne Zögerung wird dieses Werk.

Gewalt.

Durchschmett're mehr, einzwänge, lasse nirgend nach.
Denn Bahn zu finden weiss er aus Unmöglichem.

Hephästos.

Nun dieser Arm ist unauflösbar fest gefügt.

Gewalt.

Nun heft' auch diesen sicher an; damit er lern'
Wie gegen Zeus sei albern seine Klügelei.

Hephästos.

Nun Keiner tadelt ausser Dem mich wohl mit Recht.

Gewalt.

Nun treib' des ehr'nen Keiles unbarmherz'gen Zahn
Mit kräft'ger Faust ihm mitten durch die Brust hindurch.

Hephästos.

Weh, weh, Prometheus, deine Leiden jammern mich.

Gewalt.

Lässt wieder ab, bejammerst die, die Feinde sind
Des Zeus? dass nur du selber dich nicht einst beklagst.

Hephästos.

Du siehst ein Schauspiel widrig anzusehen dem Aug'.

Gewalt.

Ich seh', dass Diesem Angemess'nes wird zu Theil:
Doch wirf ihm um die Seiten Schulterfesseln noch.

Hephästos.

Zu thun ist dies nothwendig, treib' mich nicht zu sehr.

Gewalt.

Ja wohl! ich werde fordern, und antreiben auch.
Geh' untenhin, die Schenkel schlag' in Ringe fest.

Hephästos.

Das Werk ist schon mit kurzer Arbeit abgethan.

Gewalt.

Nun schlage kräftig Fesseln ein, durchbohrende.
Denn streng ist er, der deine Werke prüft und straft.

Hephästos.

Harmonisch schwatzt die Zunge mit dem Aeusseren.

Gewalt.

Sei weibisch selbst, mir tadle meine Festigkeit
Und meines Herzens Rauhigkeit vorwerfend nicht.

Hephästos.

Wir gehn, denn rings sind alle Glieder fesselfest.

(ab).

Zweite Szene.

Gewalt und Kraft, Prometheus.

Gewalt.

Hier trotze nun, und stiehl der Götter Ehrenschmuck
Und wend' ihn zu den Tagsgeschöpfen. Was vermag
Der Mensch von diesen Qualen abzuschöpfen dir?
Mit falschem Namen nennen dich die Göttlichen
Den Vorbedacht, denn selber brauchst du Vorbedacht,
Wie du aus diesem Kunstgebänd' dich winden möcht'st.
(ab).

Dritte Szene.

Prometheus.

O Götteräther, schnellbeschwingter Windeshauch,
Der Flüsse Quellen, ihr, o Meereswallungen
Umlacht von ew'gem Flüstern, Erd', Allmutter du,
Dich alles seh'nden Kreis der Sonne ruf' ich an,
O sehet, was von Göttern ich erleid' ein Gott.
Herblicket, mit wie schimpfbringender Pein
Ich gefoltert hindurch die unendliche Zeit
Abquälen mich soll. So schimpfliches Band
Sann aus sich für mich der Unsterblichen neu
Herrschender Führer.
Weh, weh! ich erseufz' um das jetzige Leid
Und das kommende noch. Wann soll denn dereinst
Endziel mir erscheinen der Mühsal?
Und doch, was sag' ich? deutlich weiss ich ja vorher
Die ganze Zukunft, unerwartet kommt mir nie
Ein Weh, vorherbestimmte Schickung aber muss
Man leicht ertragen; denn erkennen muss man, dass

Nothwendigkeitsgewalten unbezwinglich sind.
Doch nicht verschweigen, sagen auch nicht kann ich diess
Geschick. Denn weil den Menschen Gaben ich verlieh',
Bin solchem Zwang ich Armer angefesselt selbst.
Die rohrerfüll'nde Feuerquelle fasse ich
Verstohlen, die als Lehrerin von jeder Kunst
Und grosse Hülfe zeigte sich den Sterblichen.
Mit solcher Strafe büss' ich die Vergehungen,
Dass unter freiem Himmel festgebohrt ich bin.
Weh, weh, ach, ach!
Was flog her, nicht sichtbar, für Rauschklang, für Duftung?
Von Göttern oder Sterblichen oder auch gemischt?
Kam zu dem äussersten Gesteine her
Ein Schauer meiner Leiden? sucht er sonst Etwas?
O blickt gebund'nen, wehergriff'nen Gott mich an,
Des Olympiers Feind, der den Göttern zusammt
Nun geworden verhasst, wie viele davon
In Kronions Palast eingehen, ob der
Unmässigen Lieb' zu der Sterblichen Volk.
Weh, weh, was von Neu'm für ein rauschendes Nah'n
Von Gevögel vernehm' ich? es klinget die Luft
Von der Flügel gelind hinschnellendem Schwung.
Es ist Alles, was nahet, mir furchtbar.

Vierte Szene.

Chor. Prometheus.

Chor.

Erste Strophe.

Sei ohne Furcht ganz. Denn in Liebe ist genahet
Mit der Flügel schnellem Wettflug
Dem Gestein unsere Schaar, beredend

Mit Mühe nur's Vatergemüth.
Jagende Lüfte entsandten her mich,
Denn Hammernachhall von dem Stahl durchbrach die Klüfte,
Und er trieb mit Macht die ernstblickende Schaam hinweg mir.
Schuhlos ich so stürmt' in dem Flügelwagen.

Prometheus.

Ach! Ach! Ach! Ach!
O der Thetys Geschlecht, die reich an Gespross,
Und Okeanos Stamm, des Erzeugers; er schlingt
Unermüdliches Strom's um das Erdall rings
Das Gewall, o seht, o blicket auf mich,
In wie scheusslichem Band' ich da nageldurchbohrt
In dem Felsengeklüft' auf der Höh' des Gestein's
Unselige Wache bestehn muss.

Chor.

Erste Gegenstrophe.

Ich sah's, Prometheus, und es drang in meine Augen
Die gefüllte Thränenwolke
In der Angst, deine Gestalt zu sehen,
Die felsenantrocknende durch
Diese Beschimpfung mit Eisenbanden.
Denn neue Weltsteuerer herrschen auf'm Olympos
Und mit neuer Satzung herrscht Zeus nach der eig'nen Willkühr,
Was früher geehret, das tilgt er jetzt aus.

Prometheus.

Hätt' unter die Erd' und den Aïdes, der
Die Verstorb'nen behaus't, in den Tartaros, den
Unbegrenzten mit nie lösbarem Gefleckt,
Er starr mich gebannt, dass nimmer ein Gott
[Noch Andere] *) je frohlockte[n] darob.

---

*) Vgl. Reisig Jen. Litteraturz. 1824. S. 220.

So aber erduld' als Schwebegestalt
Elend ich den Feinden Erfreulich's.

Chor.

Zweite Strophe.

Wer hätte solch' ein ehern Herz
Der Götter, daran sich zu erfreu'n?
Wer mitempfände nicht mit dir
Den Schmerz, ausser Zeus? aufgebracht immerdar,
Haltend unbeugsamen Sinn,
Bändigt des Uranos Stamm dieser.
Eher ablässt er nicht, bis er im Herzen satt, oder mit List ihm der schwer zu entringende Thron geraubt wird.

Prometheus.

Ha! dennoch es wird, wenn gleich mir beschimpft
Sind die Glieder in hart anfesselndem Zwang,
Mich bedürfen dereinst noch der Seligen Herr
Um den neuen Entschluss zu erfahren, wodurch
Er das Zepter des Reichs und die Ehren verliert.
Durch Zaubergesang süsstönenden der
Ueberredung bewegt er mich nie, niemals
Werd' ein ich geschreckt durch ehernes Drohn
Diess eh'r kund thun, als bis er gelöst
Mir die schrecklichen Band' und büssen er will
Für diese Beschimpfung die Strafe.

Chor.

Zweite Gegenstrophe.

Du bist zu trotzig, weichest selbst
Vor bitter'n Schickungen nicht zurück;
Doch bist du zu freiredنerisch,
Und mein Herz zernagt Angst mir durchdringende;
Denn ich beb' um dein Geschick;
Wo es bestimmt ist dereinst, dass du
Schauest anlandend das Ziel, da er trotzigen Sinn und ein nimmer zu rührendes Herz hat, der Sohn des Kronos.

Prometheus.

Ich weiss es, dass rauh Zeus ist und er aus
Willkührlich das Recht übt, aber gewiss
Sanftmüthigen Sinn's
Wird er sein, wenn so er gestürzet dereinst.
Ablegend den nicht zu bezähmenden Zorn
Wird zu Bündniss er mir und Liebe dereinst
Sich eilend dem Eilenden nahen.

Chor.

Eröffn', und gieb uns Kunde von der ganzen Sach':
Wie war der Vorwand, unter dem Kronion dich
Ergreifend also schmählich schändet und so herb'?
Belehr' uns also d'rüber, wenn's nicht Schaden bringt.

Prometheus.

Zwar ist's mir schmerzlich, herzuzählen Alles diess, *)
Doch schmerzlich ist auch Schweigen; Schmerz ist überall.
Gleich als die Götter fingen an, ergrimmt zu sein
Und laut sich unter ihnen Aufstand regete —
Die Einen wollten Kronos stürzen ab vom Thron,
Dass nehmlich Zeus dann Herrscher sei; im Gegentheil
Die Andern wollten nimmer Zeus zum Götterfürst —
Da rieth ich nun das Beste, doch nicht konnt' ich die
Titanen, Gäa's Kinder und des Uranos,
Bereden. Sie verachteten feinsinn'ge List
In riesenhaften Sinnes Trotz, und hofften so
Ganz mühelos und mit Gewalt zu herrschen ob.
Mir aber hatte meine Mutter Themis oft
Und Gäa, vieler Namen einz'ges Wesen nur,
Der künft'gen Zeit Vollendung klar vorhergesagt,
Dass weder Stärke noch Gewalt erforderlich,
Die Ueberleg'nen aber herrschten ob mit List.
Wenn solches nun mit Worten ich verdeutlichte,
So schätzten sie's nicht würdig ganz es anzuhör'n.

*) Vgl. V. 106.

Da schien es unter allen da Vorliegenden
Das Beste mir, die Mutter noch hinzuzuzieh'n,
Von freien Stücken beizusteh'n dem Wunsch des Zeus.
Auf meinen Rathschlag schliesset auch des Tartaros
Tiefnächt'ger Bauch den ururalten Kronos ein
Zugleich mit seinen Streitern. Diese Hülfe nun
Genoss der Götter Herr von mir und lohnete
Dafür mit diesen schandbelad'nen Strafen mir.
Denn irgendwie ist einmal nun dem Herrscherthum
Anhängend dieser Fehler, Freunden nicht zu traun.
Was ihr nun fraget, welcher Ursach willen mich
Zeus schimpflich martert, will ich denn erzählen klar.
Sobald er auf des Vaters Throne sich gesetzt,
Theilt' er sofort den Göttern Ehrenämter zu,
Dem Einen Diess, dem Andern Jen's, vertheilend so
Die Macht; doch Rücksicht nahm er auf die Sterblichen
Die armen gar nicht, sondern tilgen das Geschlecht,
Das ganze wollt' er, zeugen drauf ein anderes.
Und dem begegnete Keiner ausser mir allein.
Ich aber wagt' es, riss heraus die Sterblichen,
Dass nicht vertilgt sie stürzten in des Hades Reich.
Drum krumm' ich nun in solchen Jammermühen mich,
Zu leiden schmerzlich, erbarmungswürdig anzuschau'n,
Mitleiden für die Menschen regt' ich an, und selbst
Gewürdigt werd' ich dessen nicht, erbarmungslos
So zugerichtet, eine Schau, ruhmlos für Zeus.

Chor.

Ein eisern Herz hat und aus Stein gebildet ist,
Wer deine Qual, Prometheus, mitempfindet nicht.
O, hätt' ich nicht gesehen solches; da ich doch
Geseh'n es habe, brennt vor Schmerz der Busen mir.

Prometheus.

Ja Freunden bin erbarmungswerth ich anzuschau'n.

Chor.

Wie? unternahmst du ausser Diesem noch Etwas?

Prometheus.

Ihr Loos vorauszusehn hemmt' ich die Sterblichen.

Chor.

Was fand'st für dieses Wehe für ein Mittel du?

Prometheus.

Ich legte blinde Hoffnungsfreuden ihnen bei.

Chor.

Gar grosse Wohlthat schenktest du den Menschen so.

Prometheus.

Dazu hab' auch das Feuer ihnen ich geschenkt.

Chor.

Die Tagsgeschöpfe haben jetzt des Feuers Glanz?

Prometheus.

Wodurch sie lernen werden mannigfache Kunst.

Chor.

Das also sind die Frevel, derenthalb dich Zeus
So quält und aus den Leiden nirgendwie dich löst?
Liegt denn des Leidenskampfes Ziel dir nicht bevor?

Prometheus.

Kein and'res eben, ausser wenn es ihm gefällt.

Chor.

Doch wann gefällt's ihm? welche Hoffnung? siehst du nicht
Dass irr' du gingst? doch wie du irrt'st, ist mir zur Lust
Zu sagen nicht und dir zum Schmerz. Doch dieses nun
Wir lassen. Aber du such' Rettung von der Pein.

Prometheus.

Leicht kann ja, wer von Wehe fern den Fuss gestellt
Hat, warnen und ermahnen Andre, welche sind
Im Elend. Aber alles dieses wusste ich.
